SVECIÆ REGNI
LEGES CIVILES
aut Civitatum,

Secundum

Potentissimi & Serenissimi Principis ac Domini, Domini

GUSTAVI ADOLPHI,

Sueonum, Gothorum & Vandalorum Regis, Magni Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, Domini Ingermanniæ &c.
mandatum publicatæ & typis excusæ A. 1618.

A

JOHANNE LOCCENIO JC.
in Latinam linguam traductæ, & brevibus Notis illustratæ.

Accedunt


REGULÆ JURIS SVEOGOTHICI,
atque Index.

Cum S.^ma R.^gia Maj.^tis Privilegio.

HOLMIÆ,

Typis NICOLAI Wankijf/ S. R. Maj.^tis Typographi.
ANNO M DC LXXII.

CONFIRMATIO
REGIA
Legum Civitatum.




OS GUSTAVUS ADOLPHUS Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, Dominus Ingermanniæ &c. Offerimus omnibus Sueciæ regni incolis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Episcopis, Nobilibus, Clericis, Militibus, civibus & universæ plebi, Ecclesiasticis & secularibus, cuilibet secundum suum statum & conditionem, Nostram dilectam salutationem, clementem benevolentiam, & omnia bona cum Deo omnipotente prius &c.

Videmus & cognoscimus reipsa non absque admiratione, quomodo omne illud, quod vel à natura vel per hominum inventionem & operationem artificiosum est aut esse videtur, omnem suam dignitatem, decus & robur habeat à concinnâ formâ, habitudine & ordine; adeò, ut si hæc detrahantur, nihil aliud quàm corpus absque anima & spiritu supersit. Hoc etiamsi clarè & evidenter in omnibus rebus eluceat, nullibi tamen conspectius, quàm in illorum hominum congregatione, quæ secundum omniscientis Dei insignem ordinationem ad humani generis stabilem conservationem & prosperitatem, per universum mundum constituta est dispositâ œconomiâ, & honesto imperio. Nam licet hæc diversis modis gerantur & administrentur, eò tamen omnia referuntur, ut mediantibus illis justitia tractetur, probi defendantur, improbi & perversi coerceantur ac puniantur, & in summa commune bonum quæratur ac promoveatur. Quamobrem etiam laudabiles et prudentes Principes maximè operam dederunt, ut non modò subditos suos pro se ipsis bene regerent, sed etiam ad imperii stabilimentum et meliorem statum, ut et ad cautè prævertendum omnes errores, cum bona præmeditatione constituerent et ordinarent de omnibus illis, quæ ratione temporis visa sunt necessaria et utilia: Et hæc omnia, ne oblivioni traderentur, scriptis consignari et publicè omnibus proponi ac imperari curarunt. Quod velut est verum fundamentum boni imperii, ita quæcunque regio aut civitas legibus et bene consultis statutis, eorumque severa et firma executione bene instructa et provisa est, ea, non aliter potest, quin cum incolarum egre-

egregiâ utilitate floreat, vigeat & crescat. Talia etiam nostri majores, prædecessores Sueciæ Reges ac Principes diligenter observarunt, ita ut eorum curam de patriæ salute & prudentiam meritò deprædicemus, dum non modò Leges provinciales primò in qualibet regione seorsum statuerunt, secundum singularum provinciarum consuetudinem & conditionem, deinde collegerunt, & in majorem unionem ac concordiam omnibus provinciis uno atque eodem modo accommodatas, conscripserunt; sed etiam peculiares sanctiones & Legum Codicem consignarunt pro omnibus emporiis in regno: ut certa forma & modus tam in Regni Civitatum gubernatione, quàm in justitiæ administratione, eorum commerciis & aliis civium victus generibus exstare posset. ideoque à legibus provincialibus aliquantum recessum est: quum utriusque victus & vita non parum multisque modis discrepent. Ut ergo talis majorum nostrorum bene fundatus atque utilis labor, qui cum regno & imperio ad Nos pervenit, non, ut hactenus aliquantum factum est, imprudentium exscriptorum vel aliorum male consultorum proprio arbitrio à genuino suo sensu abducatur, è re nobis visum est, ut, velut honoratissimus noster Dn. Parens, piæ & gloriosissimæ memoriæ, typis emitti curavit Leges provinciales Sueciæ, Nos pari modo Leges Civitatum excudi & ex Regia authoritate publicari faceremus. Idcircò colligi & diligenter conferri curavimus vetustissimos, optimos & verissimos Codices, & hunc subsequentem Codicem prælo commisimus, simul jubentes, Varietates lectionum potiores quæ in quibusdam libris reperiuntur, circa finem poni. ita tamen ut omnes sententiæ juxta ipsum contextum, non secundum Varietates (quæ solùm in Antiquitatis memoriam appositæ sunt) ferantur.

Præcipimus ergo & mandamus hoc ipso vobis omnibus & singulis, speciatim nostris Gubernatoribus, Prætoribus, Consulibus, Senatoribus & communibus Urbium Civibus, ut & omnibus aliis qui ibidem victum suum quærunt & exercent, ut omnibus modis componatis vos & sequamini, has Leges civiles, propriè verò in omnibus judiciis & processibus juris, donec cum illorum, quorum interest consensu, revideri & augeri eas curemus. quod quisque sibi dictum putet. Datum in arce nostra Regia. 7. Ianuar. 1618.

Gustaphus Adolphus.



LEGES REGNI SUECIÆ CIVILES VEL CIVITATUM.


TITULUS I.

DE REGE.

1. Quomodo Consules & Senatores eligendi sint, & quo tempore; & de eorum juramento.
2. Quot consules & senatores in universum esse debeant, Sueci, non extranei: & quod ille non possit esse senator, qui non domicilium in urbe possidet.
3. Quomodo Codex civitatis, Sigillum & Privilegia sint asservanda.
4. Quot consules & senatores ex una familia esse debeant.
5. Si consules & senatores munera capiant pro sententiâ suâ.
6. Cujus nationis Secretarius civitatis esse debeat.
7. Si consules & senatores rixentur de electione.
8. Si quis contumeliosè de Rege vel Regis Senatu loquatur.
9. Si quis vim inferat ei, quem Rex in protectionem suam recipit.
10. Si quis violet Regis aut Officiarii ejus sententiam: vel si quis actionem instituat contra alium in alia regione, post latam sententiam.
11. Si quis accinctus itineri literas contra alium de ære alieno habeat.
12. Si quis calumniosè loquatur de Prætore, Consulibus & Senatoribus, etc.
13. Quomodo diversoria debeant esse in qualibet urbe, quæ viatoribus necessaria præbeant: & de negligentium hoc pœnâ.
14. Si quis renunciet juri actoris, quæ mulcta & pœna sit ipsi irroganda, vel qui alterius actionem suam facere conatur.
15. Quomodo jus civitatis adquirendum sit, & quid præstandum sit ab adquirente. quale juramentum jurare debeat. quomodo renuntiare debeat civitati; & de custodia & excubiis.
16. Quo tempore anni officiales eligendi sint in civitate, & de juramento eorum.
17. Quicunque adulterat trutinam, stateram, phocæ amphoram, vel quamcunque mensuram aut modium: & si quis ejus facinoris insimuletur.
18. De jure tributi, quod Regi debetur ex omnibus Civitatis reditibus.
19. De censu ac tributo Civitati imposito; quomodo exsolvendum sit.
20. De mulcta eorum qui non ita pendunt censum, ut imperatur.

I. CAP.

Quomodo Consules & Senatores eligendi sint, & quo tempore; & de eorum juramento.



Uando Consules & Senatores eligendi sunt, omnis Senatus urbis quotannis octiduo ante S. Walburgis diem, in curiam conveniet, nemine excepto vel absente, sub mulcta trium marcarum, ita ut Prætori & Consulibus istius anni una marca bipartienda, & Regi ac Civitati duæ marcæ bipartiendæ attribuantur. Die S. Walburgis publicabuntur in curiâ electorum nomina, secundum vetus statutum. 1. §. Designatus Consul aut Senator hoc juramentum præstabit: Ita precor me Deum adjuvare & reliquias Sanctorum, quas teneo (a), quod fidelis ero Regi meo, & tam in divitum quàm pauperum causâ justitiam sequar, & nunquam jus contra conscientiam meam pervertam, nec unquam detorquebo legem contra legis mentem, vel iniquitatem tuebor, non propter metum, favorem vel pecuniæ cupiditatem, non propter invidiam vel malevolentiam, non propter cognationem aut amicitiam; ita mihi DEUS sit propitius, ut verum dico. 2. §. Quando Senatores sunt eligendi, prætor præsens erit.

(a) *Vid. Not. ad cap. 4. §. 8. KB. ll.*

II CAP.

Quot consules & senatores in universum esse debeant, Sueci, non extranei: & quod ille non possit esse Senator, qui non domicilium in urbe possidet.

Con-

Consules erunt quatuor, Sueci natione, & Senatores viginti quatuor, Sueci, non extranei. Non debet unquam extraneus aliquis Consul aut Senator esse, nec aliquod officium in urbe habere, velut Scribæ telonarii, Secretarii urbis, Excubiarum scribæ, vel aliud officium alicujus momenti. 1. §. Duo consules & duodecim senatores quotannis in judicio considebunt. Quæcunq; verò civitas non ita habet abundantiam prudentium virorum, minorem numerum (consulum & senatorum) pro facultate suâ habeat. 2. §. Nunquam etiam aliquis in Senatu erit, qui non habeat proprium fundum in urbe [b].

[b] *Vid. Synops. Iur. Dissert. 5. qu. 12.*

III. CAP.

Quomodo Codex civitatis, Sigillum & Privilegia sint asservanda.

Ad domum vel cistam, in qua Civitatis Sigillum, Codex vel Privilegia Civitatis asservari debent, duæ claves erunt. Illi consules, qui in eo anno judicio præsident, singuli suas claves habeant.

ad expilationis suspicionem vitandam, & fidæ custodiæ causâ.

IV. CAP.

Quot consules & senatores ex una familia esse debeant.

Non erunt ex una familia plures consules aut senatores in Senatu, quàm quatuor, sive sint affinitate sive cognatione conjuncti. 1. §. Nunquam etiam duo fratres consules erunt, vel senatores simul (c), nisi alia electio non suppetat.

[c] *Confer legem Heduorum apud Cæsarem lib. VII. bell. Gall.*

V. CAP.

Si Consules vel Senatores munera capiant pro sententia sua.

Si consul aut senator muneribus se corrumpi patiatur ob sententiam dicendam; Regi det munera & mulctetur XL. marcis, Regi tredecim marcis cum dimidio, civitati totidem, & actori totidem attribuendis: & removeatur è senatu, si sex bonis viris convincatur (d).

[d] *quia fecit contra verba juramenti sui: non propter pecuniæ cupiditatem,* sup. h. t. cap. 1. §. 1.

VI. CAP.

Cujus nationis Secretarius civitatis esse debeat.

Civitatis Secretarius quicunque futurus aut eligendus, Suecus erit, & nunquam extraneus.

Sup. cap. 2. h. t.

VII. CAP.

Si consules & senatores rixentur de electione.

Si ita usuvenire possit, ut inter consules & senatores non conveniat de electione, quando consulem aut senatorem eligere debent: plurium & meliores rationes habentium [e] suffragia obtinebunt, & cum quibus prætor facit. Tunc etiam omnes circumstantias & qualitates facti pensitabunt, antequam de eo certi quid constituant.

(e) *Confer artic. 33. Process. Iudicii R. Non solùm quot, sed etiam quid & quale dicant, attendendum est.*

VIII. CAP.

Si quis contumeliosè de Rege vel Regis Senatu loquatur.

Si quisquam de Rege vel Regis Senatu loquatur [f], quod eorum existimationem lædat, & sex boni viri ejus rei testes sint; in urbis custodiam tradetur & decollabitur. Si verba aliter formata reperiantur; Prætor, Consules & senatores de eo judicabunt, prout recognita illis causa est, nomine Regis vel Senatus regni: Vel in civitatis carcerem condetur, donec ipse Rex de eo judicet, vel Prætor & Senatores ex Regis jussu, si pro se fidejussores constituere nequeat.

(f) *Confer Althus. Dicæolog. lib. 1. c. 31. n. 16. 19.*

IX. CAP.

Si quis vim inferat ei, quem Rex in protectionem suam recipit.

Si quis vim faciat ei, quem Rex in protectionem suam & securitatem apertis suis fidei publicæ literis (g) accipit, ideò quod conquerebatur coram Rege: Si violans Regis literas capiatur, & sex

ſex virorum plenis teſtimoniis convincatur; reus erit capitalis pœnæ & confiſcationis mobilium: & hæredes ejus capient ejus immobilia. Ex mobilibus verò illius tertiam partem accipiet actor, & tertiam Rex, & tertiam Civitas.

(g) *ad vitam & bona, & de non offendendo.*

X. CAP.

Si quis violet Regis aut officiarii ejus ſententiam. Vel ſi quis actionem inſtituat contra alium in alia regione, poſt latam ſententiam.

Quicunque violat Regis ſententiam, ita ut ea non ſit contentus, ſed contemnat ſcriptam ſententiam; mulctetur XL. marcis (h): & hæc ſit peculiaris Regis mulcta. Hæ XL. marcæ à XII. viris æſtimatæ, exigentur à reo, primùm ex ejus mobilibus: quæ ſi non ſufficiant, æſtimabitur domus ejus: ſi domus non ſufficiat, æſtimabitur terra vel fundus ejus: ita tamen ut cognati ejus habeant poteſtatem terram illam aut fundum redimendi intra annum & noctem, ut dicitur in titulo de Hæreditate. 1. §. Si etiam actor non ſit contentus Prætoris, Conſulum & Senatorũ ſententia, ſed actionem inſtituat contra reum in alia regione vel emporio; mulctetur XL. marcis tripartiendis, & reſarciat ipſi damnum ſuum. Si non poſſit ſolvere mulctam; laboret pro Rege, actore & civitate.

(h) *Hodiè eſt mulcta centum dalerorum, art. 8.* Rätteg. *Ordin. de Ordinat. Proceſſ. jur.*

XI. CAP.

Si quis accinctus itineri literas contra alium de ære alieno habeat.

Si quis compareat coram Prætore, conſulibus & ſenatoribus, qui accinctus ſit ad iter, & chirographum habeat contra alium de debito: ſi reus in loco ſit, ſtatim ipſi jus dicent, ut poſtea deciditur, quando dies juridicus in curia eſt, vel prius, ſi poſſint. Si reus debitum agnoſcere nolit, de quo contra eum agitur; defendat ſe apochâ ſuâ, vel plenis teſtibus, quod ſolverit, prout deciditur in tit. de Judicio Curiali (i). 1. §. Si non adſit actor; prætor, conſules & ſenatores unum de ſuis conſtituant, qui ejus actionem urgeat, & ejus chirographum capiat, quo contra reum agere debet: Atq; ſic plenã agendi poteſtatem habeat, ac ſi ipſe actor eſſet. Si etiam negligat rem agendã; mulctetur tribus marcis tripartiendis: una illi pro quo actor eſt, altera Regi, tertia civitati tribuenda; & quoties hoc negligit.

(i) *Non ibi exſtat. Sed confer c. 33. h. t. ll.*

 XII. CAP

XII. CAP.

Si quis calumniosè loquatur de Prætore, Consulibus & Senatoribus.

Si quis calumniosè loquatur de prætore & omnibus senatoribus, præcipuè quod eorum existimationem vulneret; mulctetur XL. marcis: prætor primò de illis capiat tres marcas, & quilibet consul eodem modo, postea Rex dimidium, & civitas dimidium capiat, si adsint duo viri testes: vel purget se sex virorum juramento. 1. §. Si quis uni Consuli contumeliam faciat; mulctetur XX. marcis, inter actorem, Regem & Civitatem partiendis, si adsint duorum virorum testes: vel purget se sex virorum juramento. 2. §. Si quis etiam contumeliam faciat Senatori, vel civitatis Secretario; mulctetur XII. marcis tripartiendis, ut ante dictum est, si duobus viris convincatur: vel purget se sex virorum juramento. 3 §. Si quis etiam contumeliosè loquatur de Prætore, vel Senatore, vel urbis Secretario, in consessu Senatus; mulctetur XL. marcis tripartiendis, ut ante dictum est, si adsint duorum virorum testes: vel purget se sex virorum juramento. Si mulctam solvere non possit; flagelletur tam pro uno quàm alio facinore in hoc casu, & postea relegetur ex urbe. Si deinde redeat in urbem, præcidatur ei lingua. 4. §. Si quis diffamet *(k)* ante dictos viros, ita ut per ora hominum traducantur, sive intra sive extra regionem; mulctabitur octoginta marcis inter actorem, Regem & civitatem dividendis: vel capite plectetur, si sex virorum testimonia adsint: vel purget se XII. virorum juramento.

[*k*] *diffamatio aggravat contumeliam. vid. c.* 30. Rådst.

XIII. *CAP.*

Quomodo diversoria debeant esse in qualibet urbe, quæ viatoribus necessaria præbeant: & de negligentium hoc pœnâ.

Diversória erunt minimùm duo in quolibet emporio [*l*], quæ iter facientibus vendent cibum & potum, & pabula pro equis, fœnum & avenam, prout æstimatur & valet in legitimo fori die, & omnia illis necessaria præbebunt.

1. §. In

1. §. In quacunque urbe hoc non observatur aut fit; consules istius anni præsides & judices singuli mulctabuntur XL. marcis, & singuli Senatores viginti marcis, qui eo anno sunt adsessores: ex qua mulcta à singulis consulibus actor tres marcas, & à singulis Senatoribus unam marcam capiet; reliquum Regis erit. 2. §. Si non vendant, & hospitio excipiant, ut dictum est, qui designati sunt ad curam hospitum; mulctentur tribus marcis, actori, Regi & civitati pendendis, quoties de eo querela vel actio instituitur: nisi major mulcta decerni possit. 3. §. Si quid delinquatur in hospitio; mulctetur secundum jura civitatis. Nec aliquis advena potestatem habeat cuiquam suum auferendi, nisi pro præsenti pecunia & satisfactione, si quid ab hospite habere velit: Vel eum conveniendi, vel detinendi potestatem habebit, donec satisfaciat; nisi hospiti plenam vim aut rapinam faciat.

(l) In Ordinat. R. de diversoriis sic habetur: *In quolibet oppido, quàm exiguum etiam sit, duo diversoria erunt, cum tabella domui præfixa, hospitii indice.* art. 1. *Confer* artic. 35. *de Administrat. & increm. civit.*

XIV. CAP.

Quicunque renunciat juri actoris, quæ mulcta & pœna sit ipsi irroganda: vel qui alterius actionem suam facere conatur.

Quicunque juri actoris renunciat; proprio jure cadit in ista causa. Et quicunque talis actoris jus iterum petit, huic non respondetur lege vel pecuniâ. Nec aliquis aliam actionem in se recipiat, nisi quantum lex permittit (*m*): Quicunque hoc facit; mulctetur XL. marcis inter actorem, Regem & Civitatem dividendis: vel purget se sex virorum juramento, quod tale jus ignoret. Si deficiat in juramento, damnatur ad causam. Si non possit solvere mulctam; damnetur ad laborandum pro Rege & Civitate, & illi redimant jus actoris pro sua mulctæ parte, ut pro ea quoque reus laboret.

(*m*) c. 11. §. 1. KB. SL. *artic.* 15. *processʃ. Indic. R.*

XV. CAP.

Quomodo jus civitatis adquirendum sit, & quid præstandum sit ab adquirente. quale juramentum jurare debeat. quomodo renuntiare debeat civitati. & de custodia & excubiis.

Si quis velit esse civis in urbe, sive sit peregrinus, sive ex civis familiâ; coram prætore & consulibus quinque oras pecuniæ *(n)* exponet, & cum illis agetur secundum vetera statuta. Idem fide jussores pro se constituet, quod minimùm per sexennium civis esse, & omnia civitatis jura ac onera subire velit unà cum concivibus suis, pro viribus & facultatibus suis, in omnibus quæ Civitati accidere possunt. 1. §. Hoc juramentum futuri civis erit: Precor ita me Deum adjuvare, quod Regi meo volo & debeo fidelis esse, & omne civitatis jus sustinere, secundum vires meas, ut antea dictum est, & concivi meo prodesse, tam intra quàm extra regnum, & nullum opprimere vel perdere absque culpâ. Postea emet & vendet, ut alii cives, prout in codice legum scriptum exstat, in titulo de Jure Mercandi: nec prius, sub mulcta XL. marcarum tripartiendarum. 2. §. Ille sit opifex, qui eâ causâ adquirit jus civitatis: Nisi ei opes crescere possint, ut velit mercator fieri*. Accedat itaque ad Prætorem & Senatores, & mercandi facultate acceptâ, renunciet opificio, atque jus civitatis sibi de integro adquirat. 3. §. Omnes jus civitatis sibi adquirentes, codici vel matriculæ civitatis inscribentur, ut decet. Omnes etiam jus civitatis sibi comparabunt, qui non sunt nati in urbe, sive sit indigena, sive extraneus *(o)*. 4. § Si quis ex alio emporio vel provincia oriundus ducat uxorem in urbe natam, & quæ propriam domum in urbe habeat, vel pater ejus; non det aliquid pro jure civitatis. Si non ita sit, vel fuerit; expendat pro jure civitatis *(o)*. 5. §. Omnes qui incolæ fieri in urbe quærunt, nec sunt alicujus viri ministri, & trium marcarum possessores sunt; illi jus civitatis sibi adquirent pro certo pretio. Si quoque civitatis filius aut minister capiat societatem extra regnum, & postea velit hîc civis fieri; de novo sibi adquiret jus civitatis *(p)*. 6. § Nemo habebit duas societates, unam intra, & aliam extra urbem *(p)*; sed mulctabitur XL. marcis & amissione societatis, quam extra urbem cepit,

(n) *Hodiè secundum artic. 24. R. constit. de Administr. & Increment. Civit. indigena pro adquisito jure civitatis dat magistratui quinque daleros Sueticos: sed peregrinus decem daleros, in recognitionem; Secretario civitatis sedecim solidos proba moneta pro Civis literis.* Taxa de A. 1662. Dictus autem artic. 24. de modo adquirendi jus Civitatis fusè agit.

* *inf. c. 21. h. t.*

(o) Ad §. 3. & 4. *Inscriptio vel relatio alicujus in matriculam civitatis probat, eum esse civem factum.* Item *legitima nativitas & origo municipem facit.*

(p) Ad §. 5. & 6. h. cap. *In art. 6. Decreti Comit. Iuxta recess.* Stjafsteed *de Anno* 1668. ita sancitur: *Nemini permitti debet, ut in duobus locis simul civis sit, hîc & extra regnum; idque in detrimentum civium indigenarum.* Idem accipe de duabus Societatibus intra & extra urbem §. 6. *Si tamen indigena civis filius per sexennium hîc serviverit mercatori* (ut debet, pro quo etiam cautionem præstat) *nec tantum in bonis habeat, ut statim civis fieri possit, Rex permisit ei, ad quadriennium habere societatem suam in urbe, & deinde civitatis jus sibi adquirere. art. 18. Ordinat. de commerc.*

cepit,& suæ adjunxit: & illam extraneam societatem,vel ejus bona in eam collata, & XL. marcas Rex & civitas bipartitò capient. 7. §. Si quoque civis alicujus filius aut minister hæreditatem in aliqua Sueciæ urbe adiit vel emit, vel quocunque alio titulo sibi adquisivit, sive sit domus, sive alterius possessionis reditus, & extra regnū habitare velit; vendat suas possessiones intra annum,ex eo die, quo jus civitatis resignavit, vel certò constet, quod extra regnum habitare velit: aliàs hæ cedunt Regi & Civitati, singulis pro dimidia parte(*q*). 8. §. Si etiam civis alicujus filius hæreditatem in urbe possideat, & habitet extra regnum, vel alicujus viri societatem & communionem foris habeat; vendet quoq; illa, ut dictum est, vel cedent ea Regi & civitati: Nisi huc in regnum migret ad habitandum vel societatem capiendam,intra annum & diem, à die publicationis Codicis Legum. 9. §. Si quis habitet in extraneo loco, & hæreditaria bona hîc in regno adeat vel emat, vel hæreditario jure sibi adhuc adquirere possit; vendet istæc, ut dictum est, vel habitabit hîc in regno: vel eadem lex erit, quæ prius, de mercatorum filiis. 10. §. Omnes qui serviunt in urbe, & habent suam proprietatem, vel cum aliis societatem ad XX. marcas; adquirent sibi jus civitatis. 11. §. Omnes illi qui necesse habent negotiorum suorum causâ proficisci vel navigare; habebunt literas de jure civitatis, & illas quotannis renovari curabunt; & scribæ dabunt dimidium oræ. 12. §. Omnes excubias obibunt in urbe qui cives sunt, & pro jure civitatis adquisito solverunt,sive sit paterfamilias sive minister, sive sint plures sive pauciores unius viri ministri. 13. §. Quicunque insimulatur contra prius scripta admissorum,nec adsunt duo testes;purgabit se sex virorum juramento. Negligens excubias in urbe; mulctabitur tribus oris: nisi majori mandato impeditus fuerit.

(q) Ad §. 7. *Nostris moribus nunc ita observatur, ut resignaturus jus civitatis, & translaturus habitationem suam ex unâ urbe in aliam hujus regni, decem daleros pro quolibet solido census* (cui, ut civis, obnoxius est) *pendat illi civitati, ex quâ emigrat. In exoticam verò civitatem migraturus,pro quolibet solido census solvat triginta daleros, & decimam partem opum suarum,ex bonorum virorum æstimatione,ut est in art.* 18 *R. Ordinat. de Commerc.* Sed in Recessu Comitior. de A. 1668. *Iuxta decreto* (Utiafssteed) art.6. *pro decima parte* reposita est *quinta pars omnium alicujus possessionum, ex qua civitas, in qua ante habitavit, partem illam retinet, quam Ordinatio Regia de Commerc. illi attribuit* (de qua sup.). *residuum ad pios usus, ex speciali Regis dispensatione, impenditur.*

XVI. CAP.

Quo tempore anni officiales in urbe eligendi sint, & de juramento eorum.

Eo tempore anni & die, quo consules & senatores eliguntur, officiales omnes (r) quoque eligi & proclamari debent. 1 §. Duos bonos viros eligent, qui omnia Civitatis Signa habebunt, & illis signabunt, velut modium & pondera, libram, galei amphoram & stateram, & ad quæcunque illis opus est potissimum in mensura & pondere. Iidem viri illis signabunt & nulli alii, & pro ea re mercedem capient, prout consules & senatores eam determinant, & quilibet civitatis signo, vel suo, quod ad illud formatum est, signabit; & quævis civitas habebit suum signum. 2. §. Nullus vir, civis aut advena quamcunque mensuram vel pondera, vel trutinas sub se habebit, iis ponderando, sed ipsa civitas; sub mulcta XL. marcarum inter Regem & civitatem partiendarum, si quis in ea re deprehendatur. 3. §. Duo boni viri constituentur & præponentur cuivis officio, quocunque civitas opus habuerit, velut ad ædificationem, excubiarum constitutionem, panis ponderationem, & quibuscunque opus fuerit, qui providebunt & ordinabunt, ut cuilibet quod justum est eveniat. Hoc juramentum præstabunt: Ita me Deus adjuvet, ut justus ero in omni meo officio, & omne jus sequar, nec perversus ero, non propter amicitiam, munera, aut preces. 4. §. Quicunque ex modò nominatis non justus est in officio suo; mulctetur XL. marcis, inter actorem, Regem & civitatem dividendis, si sex bonis viris convincatur. Ita quoque mulctabitur qui alium ejus rei arguit, nec probare potest. Si neuter eorum solvere mulctam possit; ad laborem pro Rege & civitate damnetur, & illi redimant jus actoris. 5. §. Si quis etiam adulteret illam stateram, modium, galei amphoram, vel quodcunque sit, in pondere & mensura, quæ ipse signavit, & coram sex virorum testimonio deprehendatur; suspendatur absque omni redemptione. Si ejus facinoris arguatur, nec in ipso actu deprehensus sit, & tamen damnetur; non suspendatur, sed mulctetur XL. marcis, vel purget se XII. virorum juramento, in defectu testium. 6. §. Qui alium calumniosè hujus facti arguit, nec convincere potest; mulctetur XL. marcis tripartiendis, inter actorem, Regem & civitatem. Si neuter horum solvere mulctam possit; flagelletur & relegetur ex urbe.

(r) *art. 6. 27. 28. de Administr. & Increm. Civit.*

XVII. CAP.

Quicunque adulterat trutinam, stateram,

ram, phocæ amphoram, vel quamcunque mensuram aut modium, & si quis ejus facinoris insimuletur.

Quicunque alius vir, modium, trutinam, galei amphoram, stateram, vel quamcunque mensuram aut pondus adulterat (*s*), eoque unius marcæ damnum facit, & in ipso facinore deprehenditur; ille suspendetur absque omni redemptione. Si minus damnum eo faciat; de eo agatur, ut de alio furto. 1. §. Si ejus insimuletur, nec in ipso actu deprehensus sit; purget se XII. virorum juramento. Si deficiat in juramento; mulctetur XL. marcis, solito more tripartiendis. Qui alium ejus facti arguit, nec probare potest; mulctetur XL. marcis tripartiendis, ut dictum est. Si neuter mulctam solvere queat; flagris cædatur & proscribatur.

[*s*] *Recess. de A. 1627. art. 3. 7.*

XVIII. CAP.

De jure tributi, quod Regi debetur ex omnibus Civitatis reditibus.

Ex omnibus intributionibus civitatis, quæcunque sint, veluti mulctis, pannorum domo, libra pub. dimidium Rex & dimidium civitas accipere debet (*t*): & istas intributiones exigat urbis Camerarius cum civitatis Secretario, vel alii duo Senatores ex Senatu: & Prætori ac consulibus reddant rationem, octiduo ante S. Walburgis diem, quotannis: & urbis Secretarius scribat istæc, & in rationarium redigat. 1. §. Civitatis autem intributiones bis in anno exsolventur, dimidium circa Festum Paschatis, & dimidium circa Festum Michaelis.

(*t*) *inf. c. 22. h. t. & cap. 33. Kōv. Sl.*

XIX. CAP.

De censu ac tributo Civitati imposito, quomodo exsolvendum sit.

Quando census ac tributum civitati imponitur, quilibet incola urbis, & peregrini, si per Festum Nativitatis Christi & Paschatis in urbe vel intra regnum commorentur, vel qui eorum bona sub manibus habent, etiamsi hospites vel peregrini non ipsi sint in regno, pendent tributum vel censum (*u*), pro modo facultatum suarum: exceptis Regis monetario, Regis medico, Re-

gis coquo, & nullis aliis; nisi Rex illud deducere velit de tributis sibi debitis. 1. §. Prætributum erit dimidia (x) marca, & nunquam plus, quantus etiam census esse possit. Si etiam cognosci potest per illos viros, qui ex communitate civium assumuntur ad accipiendum censum, quod prætributum possit esse minus; illi juxta impositum censum proportionaliter adæquabunt: ita tamen ut à pauperibus viris & fœminis prætributum capiatur pro modulo facultatum suarum, nec prout prætributum aliàs constitutum est. 2. §. Quicunque aliis servitutem servit in urbe, & habet *trium* [y] *marcarum* mobilia propria & patrisfamilias sui; ille censum solvet ex suis bonis, æquè atque alii ex suis, nec prætributum.

(u) *Ordinariè una marca de centum hîc census loco penditur; à quo nullus proprium ignem & focum habens, & sub jurisdictione civitatis degens, & civile victus genus exercens, immunis est. Omnes Regii Ministri & Nobiles, aliique privilegiati ab illis exempti sunt. De modo exigendi censum accuratè agitur* in art. 14 15. 20 Const. R. de Administr. et Increm. Civit.

(x) *Hodiè sunt* XII. *solidi vel oræ. art.* 14. *d. Const. R.*

(y) *Interpres anonymus illa verba in fine cap.* 19. til triggia mark *esse mendosa, & pro iis* XXX. mark/ *legendum esse, putat. Sed hac emendatio repugnat verbis cap.* 21. § 4. *in fine,* Bygn. St. *quæ loquuntur de juvene minus tribus marcis possidente, quod ille debeat aliis servire. Si verò tres marcas possideat, & servire nolit; unà cum cive in plena contributione erit, ut habent verba legis:* Haer han til triggia Marka / och wil eigh leqho gånga; wari thå medh Bynamannum i fullom Vthskuldum. *Receptam ergo dicti c.* 19. K. B. St. *lectionem retinemus; quum eam firmet c.* 21. § 4. Bygn. St. *& c.* 15. § 5. K. B. St. *de eadem re agens; & marcæ olim longè majoris pretii fuerint, quam hodiè sunt.*

XX. *CAP.*

De mulcta eorum qui non ita pendunt censum, ut imperatus est.

Quo tempore census imponitur civitati, quilibet cives se & suos hospites & ministros scribi curabit, sive in urbe sint, vel extra eam. Et quivis recte censum pendet de bonis suis, antequam peregrè abeat vel naviget: qui non ita facit; mulctabitur XL. marcis. 1. §. Si quis occultet ministrum aut hospitem suum, quando scribendi sunt; mulctetur XL. marcis, nec sine infamia facti. Si quis etiam hospitum bona subtrahat censui, quæ hactenus penes se habuit; si in eo deprehendatur, perdet ea bona, & mulctabitur XL. marcis, & refundet hospiti bona. Si etiam hospes jubeat hoc civem facere, & convincatur duobus viris; ille quoque perdet bona sua, & mulctabitur XL. marcis, ut & civis ita jussus facere, ut ante dictum est. 2. §. Si in ore hominum sit, censum Civitati esse imponendum, necdum impositus sit, & hospites vel

civis

civis ministri aliquò proficisci vel navigare velint; prius rationes reddent patrifamilias suo de bonis suis, ut quando denunciatur ei de censu pendendo, tam pro hospitibus & ministris suis, quàm pro se censum solvat, & jurabit quod plenè solverit tam pro se, quàm pro hospite & ministro suo, atque ita, ut singulorum census seorsum pendatur. Si non ita fiat, & hospes vel minister discedat; uterque XL. marcis mulctabitur: & paterfamilias XL. marcis, quod eos discedere (censu non soluto) passus est, vel purgabit se sex virorum juramento, quod ignoraverit eos discedere. 3. §. Si civis peregrè abire velit; prius coram uxore sua, si eam habeat, vel pro aliis numeret censum, & hoc cum illis indicet consuli, & abeat quò velit. Si secus faciat & abeat; mulctetur XL. marcis. 4. §. Si census circumire possit, dum civis vel ejus minister peregrè & extra regnum est; uxor ejus, vel qui ejus bonis præest, pecuniam consuli & senatori expensum pro quota, & in eventum rationis reddendæ feret, si fortè uxor vel bonis ejus præpositus quantitatem bonorum ejus ignorent, & ipse paterfamilias domum rediens juramentum præstabit: & ita herus pro ministro faciet; sub mulcta ante dicta. 5. §. Si etiam aliquis civis vel ejus minister tam diu peregrè absit, ut census unus vel alter circumeat, vel diutius, nec ullum habeat in urbe qui pro eo censum pendat; fidejussor ejus pro eo solvet in eventum rationis reddendæ, si possit solvere: vel mulctetur XL. marcis, tam pro uno, quàm alio censu. Si fidejussor hoc non possit; ipse principalis solvet pecuniam tam pro uno, quàm altero censu; sub mulctâ prius dictâ. 6. §. Quo tempore census circumit, civis vel minister ejus dicit bona illius extra regnum esse, nec vires illorum nosse; pro illis tantum solvent censum, quanti æstimari poterant, cum aveherentur. Si bona in periculo naufragii sint; pro illis tantum census (z) pendet, quantum pecuniæ pro illis accipere velit dominus, juramento præstito. Si contingere possit, ut ista bona salva domum redeant; censum de illis pendet ex debito & quantitate eorum. 7. §. Census etiam pendetur annuus de ædibus locatis *(a)*, ac si præsens pecunia vel substantia esset. Qui navim possidet sive majorem sive minorem, æquè de ea censum pendet, atque si parata bona essent, quoties census civitati imponitur. 8. §. Census insuper pendetur de omnibus depositis bonis, velut argento & mercibus, de quibus census solvi solet: & qui istæc sub manibus habet, de illis quod justum est præstabit.

Et qvivis ter censum pendet de bonis quæ foris habet, aut alius ei debet: & qualibet vice cum de illis censum pendit, susceptoribus census hoc significabitur. 9. §. Si quis nuncium uno vel alio tempore de censu solvendo & civium conventu, & hoc notorium sit, nec tertia vice adveniat ad solvendum quod debet, vel tergiversetur; mulctetur tribus marcis. Si non intra proximum octiduum à die accepti nuncii, satisfaciat; mulctetur XL. marcis. Si ne tunc quidem, quod debet, solvat, ex bonis ejus; sive nolentis sive volentis, tantum capietur & æstimabitur, loco mulctarum, prout bona ejus cognosci possunt. 10. §. Quo tempore civitatis minister jubet aliquem in curiam venire census causâ, aderunt duo viri testes: quicunque eorum hoc detrectat; mulctetur tribus marcis. 11. §. Quicunque censum soluturus de bonis suis quid occultat; occultatum perdet, & mulctabitur XL. marcis, & à suspicione furti se purgabit. Si quis etiam latitet nec faciat, ut dictum est, vel ut censum expendat, vel ut scribatur; mulctetur XL. marcis, & nihilominus de omnibus suis bonis, ut debet, censum solvat: ac vir eo deterior sit. 12. §. De omnibus XL. marcarum mulctis in his causis, susceptores census decem marcas capiant; reliquum Rex & Civitas bipartitò, & pari modo, quod occultatum erat, bipartitò, & de eo nihil capiant susceptores census. Trium verò marcarum mulctæ in his causis in tres partes, Regis, Civitatis & susceptorum census, dividentur. 13. § Porrò observandum est, omnes juvenes, qui XL. marcarum mobilia habent, vel propria vel cum socio communia, debere prætributum solvere: & qui XX marcarum mobilia, vel propria, vel cum socio communia habent, dimidium prætributi solvere. Qui minus habent, non teneri solvere prætributum. [b].

(z) *Confer artic. 15. Const. R. de Administrat. & Increm. Civit.*

[a] *Vid. Loccenii lib. 1. cap. 7. §. 18. de Iur. Maritim.*

(b) *Vid. ejusdem Synops. jur. Dissert. 16. Quæst. 10.*

XXI. CAP.

Quot opificia unus vir habere ac sustinere debeat.

Nullus

Nullus opifex plura opificia ſuſtinebit & frequentabit quàm unum, nec aliam mercaturam; ſed quoties hoc facit, mulćtetur tribus marcis inter Regem & Civitatem partiendis (c). Quilibet verò ſuo officio contentus ſit, niſi uni renunciare, & alterum officium recipere velit. Eidem legi obnoxiæ erunt opificum uxores. Si mulćtam reus pendere non poſſit; damnetur ad opus publicum pro Rege & Civitate.

[c] *Vid. art. 34. C. R. de Admin. & Incr. Civit.*

XXII. *CAP.*

Quid Conſules & Senatores habere quotannis debeant ex Civitatis reditibus.

Ex librâ publicâ, mulćtis, domo pannorum & aliis civitatis reditibus, ad Regem & Civitatē pertinentibus, ſinguli dimidiam partem habebunt. 1. §. Et in qualibet urbe quilibet conſul quotannis habebit ſex marcas, & quilibet Senator quatuor marcas ad veſtimentum: Et hoc expendetur pro dimidia Regis, & dimidia parte Civitatis nomine [d].

[d] *Hodiè certus ſtatus ſalariorum illis publica authoritate deſignatus eſt.*

XXIII. CAP.

Quoties Civitatis Codex publicè & quotannis in qualibet urbe prælegi debeat, & quo tempore.

Civitatis Legum Codex quotannis ſemel, proximo à Feſto S: Iohannis Baptiſtæ die, mediâ æſtate, in quavis urbe publicè prælegetur [e].

[e] *Nemo ignorare præſumitur, quod publicatum eſt.*

XXIV. *CAP.*

De Literis Salvi Conducťus, quomodo formandæ ſint.

In omnibus Salvi Conducťus literis, cauſa ſalvi conducťus exprimetur [f]. Si verò quis jure frui velit de debito alterius, vel aliâ cauſâ; jus etiam tribuet illi qui contra eum agit, vel bona ejus arreſto detinebuntur.

(f) *Confer ſup. c. 9. h. tit.*

XXV.

XXV. CAP.

De modio, trutina, libra & ſtatera, quomodo debeant eſſe.

In quo emporio libra publica eſt, bilanx erit; & trutinæ proportionaliter æquabuntur libræ. Una trutina, una ſtatera & unus modius ibit circa totum regnum.

Vid. Conſtit. R. de Menſur. & Ponder. de A. 1665.

XXVI. CAP.

Si qui gravem contumeliam faciant Prætori aut Senatui urbis; vel conjurationẽ aut factionem contra illos moveant.

Si quis factionem excitet contra Prætorem, conſulem aut ſenatorem, animo nocendi eis: vel etiam ſi gravis contumelia & deſpectus illis inferatur; omnes qui in eodem fuere, capite plectentur, ſalvis eorum bonis proximis hæredibus. I. §. Si damnum inde accidat; omnium authorum pœna capitalis, & confiſcatio bonorum erit. Si verò gratia Regia frui illis liceat; hoc Prætoris & Senatus arbitrio ſtabit.

De hoc cap. plura ad cap. ult. Edict. inf.



TITULUS II.

DE JURE CONJUGII.

1. *Quomodo vir ſibi mulierem petere ſponſam debeat.*
2. *Quomodo mulier deſponſari debeat.*
3. *Si virgo nubat viro contra patris aut matris conſenſum; & de pœna illius aut hujus hoc facientis.*
4. *Si quis deſponſari ſibi curarit fœminam, & cum eâ fundare familiam velit, & ea illi denegetur.*
5. *Quo jure aut verbis deſponſator debeat fœminam deſponſare.*
6. *Si ſponſus ſponſam ſuam acceperit, & illa mortua fuerit, antequam in domum ejus veniret.*
7. *Quomodo deſponſationis convivium, nuptiæ, natalitiæ epulæ, nuptorum in templum ingreſſus epulæ, parentalia, vel hæreditatis diviſæ epulæ ſint inſtituendæ.*

8. Poſt-

I. CAP.

Quomodo vir sibi petere Sponsam debeat.

SI vir sibi fœminam ad desponsandum petere velit; adire proximos ejus agnatos debet, & preces suas ordiri. Pater & mater desponsabunt filiam suam. Si illi non amplius exstent; propinqui ejus desponsatores erunt, ut in titulo de Hæreditate deciditur: vel ille, quem pater aut mater plenis testibus tutorem filiæ suæ, vel bonorum ejus eligit tempore mortis suæ.

[a] *Etiamsi non virgo, tamen mater, defuncto patre, potest desponsare filiam, in fin. cap. 1. de conjug. §§. c. 1. de Hæredit.* **UL. WML.** *&* **HL.** *frequentius tamen per aliquem ex propinquis viris.*

II. CAP.

Quomodo mulier desponsari debeat.

Si vir sibi velit desponsari fœminam; desponsator ejus præsens erit, & * duodecim testes aderunt, sex à parte viri, & sex à parte fœminæ: & tunc desponsatio legitimè facta est. Si quis desponset præter verum sponsorem, ut modò dictum est; mulctetur XL. marcis tripartiendis, inter actorem, Regem & civitatem: vel probet veniam à vero desponsatore, sex virorum testimonio: vel purget se sex virorum juramento, quod non fuerit ejus factum. 1. §. Quicunque despondet duobus unam fœminam; mulctetur XL. marcis, dimidia parte Regis & dimidia parte civitatis: & quicunque illam postea sibi desponderi facit, Episcopo pendat trium marcarum mulctam, vel purget se duorum virorum proprioque juramento, quod nesciverit, eam prius desponsatam esse. 2. §. Quando deinde legitimè desponsata est; parœciæ sacerdos ubi habitat illa, tribus diebus Dominicis publicè denunciabit de ejus conjugio, & deinceps liberè eam copulabit. 3. §. Si suscipiant infantem tempore factæ desponsationis; infans legitimus filius erit (*b*). 4. §. Si suscipiant infantem ex stupro, & vir postea stupratam ducat uxorem; infans ille capiet hæreditatem ut legitimus infans: quum enim per nuptias legitimaret fœminam, legitimabat etiam infantem. 5. §. Si Episcopus separet desponsatos; is, qui in culpa separationis est, Episcopo pendet mulctam trium marcarum. Si uterque in culpa sit; singuli tres marcas pendent. 6. §. Si verò, qui XL. marcarum mulctam solvere debeat (de quo sup.) nec sit solvendo; damnabitur ad laborem.

* *In jure Westmannico cap. 1. de Hæredit. quatuor solùm requiruntur testes, duo à Sponsi, & duo à Sponsæ parte.*

[*b*] *Lex Ostrogoth. cap. 5. de jur. Conjug. & Lex Westmann. in cap. 37. de Hæredit. faciunt talem etiam hæredem parentum suorum, non subsecutis nuptiis. Sed vid. Synops. Iur. Dissert. 9. Qu. 2.*

III. CAP.

Si virgo nubat viro contra patris aut matris consensum; & de pœna illius aut hujus hoc facientis.

Quæcunque virgo viro nubit contra patris & matris consensum, sive conjugii sive stupri fine; excludetur hæreditate bonorum paternorum & maternorum: non verò aliâ hæreditate. Si pater & mater velint ei delicti gratiam facere; plenam capiet hæreditatem. Si contentio oriatur, num ei sit delictum remis-

remissum vel non; sex virorum testimonio probabit,& jurabit ei remissum esse. 1. §. Qui etiam pellicit viri alicujus filiam quæ virgo est, vel illius cognatam,ita ut stuprata virginitatem suam omittat; redimet ignominiam suam XL. marcis, inter actorem, Regem & Civitatem in tres partes dividendis, & proscribetur ex urbe: nisi actor pro eo velit intercedere, aut ille se XII. virorum juramento purgare possit.

Confer Reg. Const. de illegit. Nobil. nupt.

IV. CAP.

Si quis desponsari sibi curarit fœminam; & cum ea fundare familiam velit, & ea illi denegetur.

Si cui desponsata sit fœmina, & cum ea constituere familiam velit, desponsatori ejus hoc significabit sex hebdomadibus ante quàm nuptias facere velit. Si desponsata denegetur ei absque impedimentis; mulctetur ille XL. marcis actori, Regi & civitati, qui hoc facit, & refundat ipsi sumptus ex bonorum virorum,duorum utrimque, æstimatione. Hæc sunt legitima impedimenta: Si in morbo decumbat: vel hujusmodi obstaculum interveniat, ut non possint contrahere matrimonium cum Dei venia, & jure Ecclesiastico. 1. § Si adhuc ipsi denegetur; adeat Prætorem, consules & senatum,& accipiat ab ipsis sententiam, in conventu propinquorum & testium, & educat desponsatam sibi fœminam. In quacunque urbe illa eximetur, ibidem duos senatores rogatos secum ducet, qui videant & testentur, quid istic agatur, vel alios duos bonos viros: Si recusent ad hoc nominati,singuli mulctentur tribus marcis tripartiendis,inter actorem, Regem & civitatem. 2. §. Si ne sic quidem eâ potiri possit absque januæ effractione; impunè sit. Si etiam rixa quædam interveniat, ex eo quod eam eximere vult, & sic cædes vel vulneratio accidat; impunè sit quod patiuntur resistentes. Si verò occidantur aut vulnerentur qui eam capere volunt; dupli pœna sit: & illa fœmina postea dicatur legitimè, nec vi capta vel rapta (c).

(c) *Confer Synops. jur. Diss. 3. qu. 10.*

V. CAP.

Quo jure aut verbis desponsator debeat fœminam desponsare.

Quando sponsus petit conjugium, desponsator ei desponsatam fœminam dabit & in manus tradet hac verborum formula: Trado tibi filiam meam in honorem & uxorem, & dimidium thalamum, seram & claves, & omne dimidium, adquisitum & non adquisitum in nummis ac mobilibus: & quicquid sit immobile vel mobile ruri in pecoribus consistens, dividatur secundum leges provinciales, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. 1. §. Si quis sponsam alterius legitimè desponsatam rapiat; mulctabitur octoginta marcis, inter actorem, Regem & civitatem partiendis; & relegabitur ex urbe, nec unquam in eam redibit, donec verus actor pro eo intercedat, vel hæredes sponsæ, si sponsus obierit mortem (*d*).

[*d*] *Inter Nobiles est pœna capitalis rapientis. art. 3. de illegit. Nobil. nupt.*

VI. CAP.

Si sponsus sponsam suam acceperit, & illa mortua fuerit, antequam in domum ejus veniret.

Si sponsus sponsam suam acceperit, & eam domum ducere velit, illa verò obierit, antequam in domum ejus vel thalamum cum eo veniret; funus ejus reducetur ad patrem ejus vel hæredes ejus, & omnia quæ ei donata erant ex patris vel consanguineorum domo; & sponsus recipiat munera sua ei missa. 1. §. Nemini liceat majora munera mittere sponsæ suæ, quàm ad sex marcas; sub mulctâ XL. marcarum tripartiendarum. 2. §. Si etiam sponsus moriatur; eadem lex esto. Sed sponsa retineat sponsi munera (*e*). 3. §. Si sponsa domum venerit sana & salva; nuptiæ fient, & donum matutinale dabitur, & postea in thalamũ ibit cum sponso suo.

[*e*] *In solatium aliquod sponsi amissi. illis muneribus etiam includitur donum matutinale. c. 9. §. 3. h. t.*

VII. CAP.

Quomodo desponsationis convivium, nuptiæ, natalitiæ epulæ, fœminæ post par-

tum

tum in templum itionis epulæ, parentalia, vel hæreditatis divisæ epulæ sint instituendæ.

Si vir aut mulier velit desponsationis, nuptiarum, natalitium infantis convivium, fœminæ post partum in templum euntis epulas, funebres epulas, hæreditatis divisæ convivium instituere; hanc sanctionem hîc positam observabit. Duo erunt viri & duæ fœminæ, quæ personæ invitabunt populum ad ante dicta convivia: viri viros, & fœminæ fœminas invitabunt. 1. §. Sponsalia nemo faciet cum aliqua impensa. 2. §. Nuptiæ (*f*) habentur per biduum, quolibet die ad unum prandium, non plus: & ad hoc invitabuntur xxx. paria convivarum pro numero arbiculorum, tam virorum quàm fœminarum. Si plures quis invitare velit; Prætor, consules & Senatus ei permittent ad hoc xx. paria convivarum: plures ei non licebit habere, exceptis officia præstantibus, velut architriclino & aliis, vel præfectis convivio, vel operas ad illud conferentibus. 3. §. Vestes nuptiales nemo ad corpus suum plures quotannis quàm duas fieri curabit; sub mulcta III. marcarum in duas partes, inter Regem & Civitatem, dividendas. 4. §. Convivium natalitium infantis habebitur uno prandio: Ad hoc XII. paria convivarum, virorum & mulierum, nec plura, invitare liceat. Fœminæ, post impletas à paritione hebdomadas, in ædem sacram euntis epulæ, eandem legem habebunt. 5. §. Funebres epulæ, & hæreditatis divisæ convivium habebunt xx. paria convivarum, cum clericis & omni alio populo. 6. §. Quando hæc convivia peracta sunt; ille qui præbuit ea, in curiam ad senatum ibit, & sanctè jurabit, quod hanc sanctionẽ bonâ fide servarit, nec transgressus sit. Si quis secus fecerit, quàm modò dictum est, & duobus viris convictus sit; mulctabitur XII. marcis inter Regem & Civitatem partiendis. Si arguatur hujus facti, nec testes adsint; sex virorum juramento se purgabit. Si deficiat in juramento; damnetur ad causam, cujus arguitur.

(*f*) *Hæc hodiè in melius immutata sunt R. Const. de A. 1664. & 1669.*

VIII. CAP.

Postquam maritus & uxor conjugium iniverunt, quis postea curator ejus esse debeat.

Conjugio unitis marito & uxore, post primam noctem, maritus ejus curator erit, & pro ea adquiret eamque tuebitur, nec prius (*g*).

(*g*) *Famam tamen & nomen sponsæ tueri sponsus tenetur: quatenus sunt conjuges coram Deo. de qua re alibi.*

 IX. CAP.

IX. CAP.

De dono matutinali, & aliis donationibus, quomodo illæ conferendæ & capiēdæ ſint. & quid commodi maritus habere debeat ex indiviſis bonis, poſt uxoris ſuæ mortem, & quid uxor habere debeat poſt mortem mariti,cum dono matutinali.

Donum matutinale, quod ſponſus donat ſponſæ,debet quatuor marcarum,& viginti Sueticorum nummorum eſſe, nec plus eo: minus, ſi ita ſponſus velit, poteſt eſſe, vel ſi neget ſe tantum donum matutinale dare poſſe. Ex qualibet quadrâ duæ oræ pecuniæ dabuntur (*h*). Si quis plus dare velit, ei non licebit; ſub mulctâ trium marcarum,inter Regem & civitatem dividendarum 1. §. Nullus ſponſus aut ſponſa qualiacunque munera dabit cuiquam,tempore nuptiarum,nec prius aut poſtea; ſub mulcta trium marcarum & munerum, inter Regem & Civitatem partiendorum, ſi author legitimè convincatur. 2. §. Hoc donum matutinale & alia munera dabuntur primo nuptiarum die: & donum matutinale, quantum modò dictum eſt,dari poteſt in præſenti pecunia,vel immobilibus,terrâ,domo,vel in quibuscunque quis velit. 3. §. Si moriatur ſponſus,& ſponſa ſine liberis ſuperſtes ſit; capiat donum ſuum matutinale (*i*), ut dictum eſt, & ſimul veſtem ſuam feſtalem optimam,velut pallium,peplum,pallam,& quidquid pertinet ad habitum feſtivum mulieris: Ornamenta ejus pretioſiora excipiuntur, velut baltheus argenteus,& alia hujusmodi: Niſi ſint fibulæ ad veſtem ejus feſtalem pertinentes,& optimum lectum ſuum præcipit uxor ex indiviſo,diviſione deinde legitimè facienda. 4. § Si uxor ſine liberis moriatur ante maritum; hæredes illius dimidiam omnium bonorum partem capient, et alteram dimidiam partem maritus. Non verò hæredes capient donum matutinale uxoris, vel alia eò pertinentia,ut ante dictum eſt. Paterfamilias autem ex indiviſo capiet optimũ lectum,optimam veſtem,ephippium, arma ſua & ciſtã ſuam 5. § Si prænominati ſuscipiant liberos ex matrimonio, & uxor ſuperſtes ſit marito ſuo; non capiet dõnum matutinale (*k*), ſed illũd exſtinctum erit. Lectum verò optimũ,et optimũ veſtimentũ feſtivũ ſuum, exceptis ornamentis pretioſioribus, ut ante dictũ eſt, ex indiviſo capiet: & poſtea ad dimidiam partem dividet cum liberis ſuis.

6. §. Iti-

(*h*) *Hæc hodie R. Conſt. abrogata ſunt.*

[*i*] *Vid. Not. ſup. ad c. 6. h.t.*

(*k*) *Diſcrimen inter donum matutinale jur.civ.& prov,diſcriminis bujus probabilis ratio adfertur in Synops. jur. Diss. 7. Memb. 2. th. 11.*

6. §. Itidē maritus præcipiet omne lucrū hæreditariū, ut optimā suā vestē, & alia ante dicta, post uxoris suæ mortem, etiamsi liberi superstites sint: & postea in duas partes hæreditatem cum liberis suis dividet: & paterni hæredes paternam partem in hoc casu, & materni hæredes maternam partem capient. 7. §. Donum matutinale exsolvetur prius ex omnibus indivisis bonis, etiamsi maritus uxori quidquam, vel tertiam partem, vel etiam plus, legarit, ut determinatur in testamento, si hoc jure potuerit.

X. CAP.

Quomodo uxor dono matutinali exui possit, & de adulterio ejus.

Si uxor adulterium committat, & maritus intus eam in actu deprehendat, cum sex virorum testimonio; tunc illa perdidit donum matutinale suum, & maritus habeat potestatem vitæ utriusque. Si illa capite plectatur; hæredes ejus bona capiant. Si etiam adulter capite plectatur; eadem lex fit de ejus bonis & hæreditate. Si maritus mulctis contentus esse velit; adulter & adultera sigillatim mulctentur XL. marcis tripartiendis, & tredecim marcis cum octo sestertiis Episcopo (l). 1. §. Nullus vir uxori aut marito crimen adulterii impinget, sed illi sibi invicem; sub mulcta in titulo de (m) Iudicio Curiali determinata. 2. §. Si etiam innupta fœmina committat adulterium cum conjugato viro; is privabitur eo lucro, quo frui debuisset ex indivisis bonis post uxoris suæ mortem, & uterque solvet mulctas Regi, Episcopo, actori & civitati, ut prius dictum est: uxor autem ejus actoris jure fruetur. Si adulter non sit solvendo mulctas; lorum collocabitur circa membrum ejus genitale, & adulteræ imponentur civitatis saxa (n), atque ita illa illum circa urbem ducet, & postea ejurabunt urbem. Si verò alteruter eorum mulctam solvat, ut ante dictum est; ab illa pœna liberi sint: & civitatis minister eum vel eam circumducat per urbem, si non habeat quo mulctam solvat: & prætor ac senatores dent ministro dimidiam marcam pecuniæ pro labore suo.

(l) *Hodiè pœna adulterii est fori civilis.*

[m] c. 30. Rätt. *Synops. Iur. Diss.* 30. *qu.* 4.

[n] *Hæc hodiè abrogata sunt; & de isto veterum ritu notata vide lib. 2. Antiq. Sueogoth. cap. 25. in fin.*

XI. CAP.

Si maritus ante uxorem moriatur, quis tunc tutor liberorum esse debeat.

Si

Si maritus cum uxore sua cohabitet, & ex ea suscipiat liberos, dein moriatur; uxor habebit potestatem administrandi bona liberorum, cum consanguineorum consilio, dum vidua est *(o)*. Si postea etiam ad hoc apta sit; administret ista bona quoque deinceps, cum propinquorum consilio, nec aliter [*p*].

[o] *Ne per sexus imbecillitatem fortè contra pupillorum commoda faciat.*

[p] *Hodiè per R. Constit. de Tutorib. hoc ei non licet, certâ tamen moderatione adhibitâ. Vid. art. 9. d. Const.*

XII. CAP.

Si uxor vidua transeat ad secundas nuptias, quomodo liberorum bona separanda & dividenda sint.

Si uxor vidua transeat ad secundas nuptias, & liberorum bona paterna adhuc intus cum ea sint; ista dividentur cum liberis. Illa vero ex indiviso præcipiet optimum lectum, cum omnibus eò pertinentibus, ut ante dictum est: postea dividet in duas partes, dimidiam partem illa capiet, alteram dimidiam partẽ ejus liberi, sive sint immobilia, sive alia bona: nec potestatem habebit nubendi in bona paterna liberorum, antequam hæc divisa sint [*q*].

(*q*) *Confer art. 8. 9. 10. d. Const. R. de Tutorib.*

XIII. *CAP.*

Quomodo liberorum bona separanda ac dividenda sint, quando vir viduus transit ad secundas nuptias.

Si fœmina nubat viro, & exstent prioris matrimonii liberi; eorum bona materna dividentur: nec unquam fœmina nubet in liberorum bona materna. Tum paterfamilias prius præcipiet vestem suam festalem & omnia illa, quæ in capite 1x. h. tit. de domo matut. enumerata sunt. Deinde dimidium capiet pater, & dimidium liberi ejus, ut prius dictum est. Si maritus aut uxor ad plura conjugia transeat; eadem Lex esto [*r*].

[r] *Confer artic. 5. d. Const. R. de Tutoribus.*

XIV. CAP.

Si plures diversorum matrimoniorum liberi

liberi exstent, & sint in domo patrisfamilias, quomodo bona eorum materna sint dividenda.

Si bona liberorum non ante sint divisa, ut antea dictum est, & diversorum matrimoniorum liberi adhuc sint apud patremfamilias; sive unius sive alterius matrimonii, in omnium bonorum dimidiam partem succedent, juxta patremfamilias, & æqualiter capient diversi matrimonii liberi. Si etiam plurium matrimoniorum liberi exstent, & sint apud uxorem; eadem lex sit (*s*).

[*s*] *De Unione prol. alibi plura.*

XV. CAP.

Quis mortuis parentibus liberorum tutor esse debeat.

Mortuis parentibus, tutor erit, qui est proximus consanguineus, ut antea dictum est, in desponsatione filiarum; etiam de bonis liberorum. Et quicunque administrat bona pupillaria pater aut mater; cautionem præstabit de rebus pupilli salvis, & tot ac tantis, quot & quantæ erant quum eas acciperet, pupillo aut ejus hæredi restituendis. Et bona pupilli sic in ante dictorum potestatem & custodiam recepta, non undæ, vel incendio, vel alii casui fortuito obnoxia erunt in detrimentum pupilli, sed plena restituentur. Quicunque bona pupillaria ita acceptare rennuit; quotannis propinquis rationem reddat fructuum & expensarum bonorum pupillarium. 1. §. Si non exstent consanguinei; consules & senatus constituent duos bonos viros ex civitate, vel quot opus fuerit, qui curent liberos & bona pupillorum, & consulibus ac senatui quotannis rationem reddant accepti & expensi de bonis pupillaribus. Cuicunque hoc in civitate à Senatoribus, liberorum & substantiæ eorum curandæ causa, offertur, ut dictum est, & recusat; mulctetur tribus marcis bipartiendis, inter Regem & Civitatem, quoties hoc facit. (*t*).

(*t*) *Vid. art. 11. Const. R. & seqq. de Tutor.*

XVI. CAP.

Si liberorum tutor ad tutelam non sit idoneus.

Si non satis mentis compos sit, vel senio confectus, vel liberorum adversarius, vel inhabilis sit ad tutelam, qui ei præesse debet; propinqui de ea re cognitionem & sententiam capient. Si cognoscant, rem ita se verè habere; ille administrabit bona pupillaria, qui valet, potest, & vult ex proximis consanguineis *(u)*.

(u) art. 13. 14. d. Const. de Tutorib.

XVII. CAP.

Si paterfamilias moriatur absque liberis, & uxor se prægnantem esse sentiat.

Si moriatur paterfamilias, nec relicti sint liberi, atque hæres divisum & acceptum veniat hæreditatem, uxor autem pro se respondeat: Uterum gero & prægnans sum ex marito meo; tunc bona sunt inspicienda, & æqualibus bonorum virorum manibus committenda sunt; ita tamen ut uxori de victu prospiciatur. quæ sex mensium spatium habebit: si interim signa uterum gerentis appareant; adhuc ei quatuor mensium spatium dabitur. Si infans intra decem menses nascatur & baptizetur; capiat hæreditatem: si post decem menses nascatur; non capiet hæreditatem, & restituet uxor cōsumpta ex bonis. 1. §. Si vero uxor dicat se prægnantem fuisse, sed partum periisse; hoc probabit duarum fœminarum & sex virorum juramento. Si deficiat in juramento; refundet impensam alimentorum: si præstare possit juramentum; libera sit à restitutione istius impensæ, & tamen exclusa ab hæreditate.

Confer. lib. 12. de Collat. bonor.

XVIII. CAP.

Si pater aut mater liberis suis faciat expensas nuptiarum, vel donet nuptiales vestes, vel aliud hujusmodi, quomodo hoc inter liberos computari debeat; vel si fratres ac sorores desponsent aliquam ex suis de indivisis bonis.

Si pater aut mater faciat nuptias filio suo vel filiæ; harum expensæ non venient in computationem inter fratres & sorores, quando parentibus in hæreditatem successuri sunt: sed omnes alii sumptus in eos facti, ut vestes, mundus muliebris, domus, aut aliæ largitiones nuptiales parentū in filium aut filiam collatæ. Quascunque verò donationes parentum, ille vel maritus ejus cum sex virorum

virorum juramento confitebitur & agnoſcet, ſi fratres & ſorores viri aut fœmina verbis ejus adquieſcere nolint, & ſic ad æqualitatem iſtæc inter ſe redigent. Hæc ita ſunt accipienda: quod pater & mater inter illos æquare partes debeant, ut ſi ille vel illa plus acceperit, quàm ſinguli fratres & ſorores pro legitima ſua parte capiunt ex paternis aut maternis bonis; illud exſolvatur & in medium conferatur. Si etiam plus bonorum ſit, quam ille vel illa ceperit; tunc partem ſuam additamenti loco capiat qui minus accepit, & ſic utrimque partes æquabuntur: nec de novo inter illos diviſio fiet. 1. §. Si fratres & ſorores in bonis indiviſis cohabitent, & unus vel plures ex illis nuptias faciant; illarum impenſa computabitur.

Confer c.26.27. (Sipt.) de conjug. OL.

TITULUS III.

DE HÆREDITATE.

1. *Si civis aut uxor ejus moriatur, quomodo deſcendentes in hæreditatis eorum partes ſuccedere debeant.*
2. *Quomodo aſcendentes & collaterales ſuccedere debeant.*
3. *Si contentio oriatur inter deſcendentes & collaterales, quomodo hæreditas adeunda & dividenda ſit.*
4. *De infantis mortui nati hæreditate.*
5. *Si legitima uxor patriſfamilias vi abrapiatur.*
6. *Si maritus aut uxor caſu fatali aut fortuitò pereant, quomodo eorum hæreditas dividenda ſit.*
7. *De uterinorum & germanorum fratrum ac ſororum hæreditate.*
8. *Si maritus moriatur ante uxorem, priusquam ſciret ſe gravidam eſſe.*
9. *Si fratres & ſorores cohabitent in indiviſis bonis, quomodo diviſio inter illos inſtituenda ſit.*
10. *Quomodo fratres & ſorores hæreditatem dividere debeant.*
11. *Si contendant duo de hæreditate, & ambo jure ſibi eam vendicatum eant.*
12. *Si quis proximior ſit hæreditatem poſſidente, & interpellet eam intra annum & noctem.*
13. *Quomodo concubinæ infans enutriendus ſit.*
14. *De concubinæ filii hæreditate, quomodo ea capi, vel ipſe hæreditatem capere debeat.*
15. *De ſcorti & alterius hujusmodi liberis, quatenus de eorũ hæreditate agatur.*
16. *Si controverſia oriatur de diviſâ hæreditate.*

I. CAP.

Si civis aut uxor ejus moriatur, quomodo descendentes in hæreditatis eorum partes succedere debeant.



SI moriatur civis aut uxor ejus, & supersint liberi, filius & filia; hæreditatem parentum capiet tam filius, quàm filia; & tam filia, quàm filius; & tam nepos capiet, quàm filius ex hæreditate, & tam neptis quam filia: etiamsi quidam fratrum aut sororum adhuc [a] vivant.

(a) *Etiam pronepotes & proneptes, si vivant. Vid. Not. ad cap. 1. h. tit. LL. provinc.*

II. *CAP.*

Quomodo ascendentes & collaterales succedere debeant.

Si prænominati non exstent; pater & mater hæredes erunt: dimidium pater, & dimidium mater capiet. Si illi non exstent; frater & soror hæredes erunt: dimidium frater, & dimidium soror capiet; & fratris liberi, æquè ac frater, & sororis liberi, æquè ac soror, capient ex hæreditate. Si nec illi exstent; avus paternus & avia paterna hæredes erunt: dimidium hæreditatis avus, & dimidium avia capiet. Si hi non amplius exstent; avus maternus & avia materna hæredes erunt, & singuli dimidium hæreditatis capient. Si illi non exstent; patruus & amita. his deficientibus; avunculus & matertera hæredes erunt, & singuli dimidium capient. Si nec hi super-

ſuperſint; amitini & conſobrini hæredes erunt, & hi dimidium hæreditatis accipient. 1. §. In quacunque civitate diviſio fiat bonorum paternorum & maternorum, ſive inter virum ſive fœminam, & uterque æquè proximæ conſanguinitatis ſit defuncto; quilibet dimidiam partem ex hæreditate capiet: Si alius proximior ſit; totum capiet, nec ſolvet aliquid de hæreditate alteri familiæ (b).

(b) *Niſi exſtent nepotes & conſobrinorum liberi, in fine cap. 3. h.t. LL.prov. Confer Synops. Iur. Diss. 9. Qu. 5.6.*

III. CAP.

Si contentio oriatur inter deſcendentes & collaterales, quomodo hæreditas adeunda & dividenda ſit.

Si diſceptatio oriatur inter deſcendentes, & collaterales æqualis gradus; deſcendentes velut proximiores præferentur collateralibus vel aſcendentibus, velut remotioribus. Hi ſunt deſcendentes, qui ex pectore patris deſcenderunt, aſcendentes vel collaterales remotius in familia.

Cap. 11. UL. h. t.

IV. *CAP.*

De infantis mortui nati hæreditate.

Si infantis paterni conſanguinei dicant, infantem mortuum eſſe natum: mater verò ad reſpondendum adſtans adfirmet, infantem vivum eſſe natum & baptiſatum; hîc fœmina, quæ partui adfuit, duorum virorum teſtimonium feret; & mater hæres infantis erit (c).

(c) *Non verò, ſi mortuus ſit infans. Vid. Synops. Iur. Diss. 9. qu. 7.29.*

V. CAP.

Si legitima uxor patrifamilias vi abripiatur.

Si fœmina vi abducatur à marito ſuo, & intra XL. hebdomadas (d) pariat infantem, à tempore concubitus cum marito ſuo; ille infans hæres patris ſui erit.

(d) *Legitimum pariendi tempus aliquando etiam* XI. *menſis. Vid. Exercit. Iur.* VII. *theſ.* XII.

VI. CAP.

Si maritus aut uxor casu fatali aut fortuitò pereant, quomodo eorum hæreditas dividenda sit.

Si omnes imponantur navi, maritus, uxor & eorum liberi, & submergantur omnes, nemo verò sciat, quis eorũ prius aut posterius obierit; mariti hæredes ejus hæreditatẽ, & uxoris hæredes ejus hæreditatẽ adibunt. 1. §. Si imponantur omnes traheæ, eamque agant in perforatam glaciem, nemoque sciat, quis prius aut posterius perierit; eadem lex esto. 2. §. Si incendio perierint, vir, uxor & liberi; eadem lex esto. 3. §. Si exercitus hostilis grassetur per provinciam, interficiat aut comburat, & nemo sciat, quis diutius vixerit; eadem lex erit. 4. §. Si separentur aut à se invicem discedant viri vivi, & reperiantur mortui, & nullus sciat, quis diutius vixerit; eadem lex erit. 5. § Si duo decumbant ægroti in unâ domo, & alter alterius sit hæres, & ambo simul moriantur; eadem lex esto. Si verò unus post alium tamdiu superstes sit, ut Eucharistiæ Sacramento uti possit; hic sit illius hæres: Etiamsi non amplius loqui aut Sacramentum capere possit. Hoc stet duorum virorum præsentium testimonio.

Confer Finkelaus Observ. Pract. 52.

VII. CAP.

De uterinorum & germanorum fratrum & sororum hæreditate.

Si mortuis parentibus superstites sint uterini & germani fratres ac sorores, & unus germanorum moriatur; reliqui germani fratres ac sorores tertiam hæreditatis partem capient, & uterini quartam partem: sive sit frater sive soror, sive plures sive pauciores in stirpe sint, non plus quàm quartam partem capient. Si duæ stirpes sint, & omnes alii exstincti; stirps stirpi succedet, nec alius vir aut fœmina. 1. §. Si filius aut filia moriatur, & superstes sit pater aut mater, & alteruter eorum obierit; dimidium hæreditatis capiet pater aut mater, & alterum dimidium germani fratres ac sorores. 2. §. Si unicus filius moriatur, & superstes sit pater aut mater; omnem hæreditatem capiet, etiamsi uterini supersint. Si non exstent germani fratres & sorores; pater & mater hæredes sunt, nec aliquid ex

ex hæreditate aliis dant, nisi exstent fratrum & germanorum liberi. Et illa lex valeat, sive pater aut mater iteraverint vel non iterarint conjugium.

Confer c. 14. de hæred. UL.

VIII. CAP.

Si maritus moriatur ante uxorem, priùs quàm sciret se gravidam esse.

Si vir contrahat matrimonium & cohabitet cum uxore sua, atque suscipiat ex ea liberos, ille verò moriatur, antequam uxor sciat se prægnantem esse, atque ita mariti hæredes ab ea hæreditatem capiant, dicantque, quod illa cum marito suo nullos habeat liberos, ideoque ejus hæres esse nequeat. Illa verò non neget se gravidam esse, & tamen tradat illis hæreditatem. Iam verò si rumor exeat, illam gravidam esse, & ille qui hæreditatem possidet, occidat eam, hæreditate ægrè carere volens, vel conficiat vitam ejus veneficio. Fœminâ sepultâ innotescit, quod hæres confecerit vitam ejus: Id si sex virorum testimonio adseratur; illa effodietur, & corpus ejus resecabitur. Si in utero ejus reperiatur infans, aut vestigia infantis exstent; infans erit hæres patris sui, & mater infantis, & matris hæredes ejus propinqui erunt. Ibi mortuus & paganus (e) hæreditatem capit, & vivus ac Christianus ab ea excluditur. Nemini enim licet spe lucri alium occidere.

(e) *Ob jus continuationis dominii in hæredem. Vid. Diss.9.Synops.Iur. qu. 6.*

IX. CAP.

Si fratres & sorores cohabitent in indivisis bonis, quomodo divisio inter illos instituenda sit.

Si fratres & sorores in indivisis bonis cohabitent; quicquid adquirunt servitio aut alio opere manuario, hoc inter omnes commune erit. Sed divisis bonis, singulis proprium erit, quicquid adquirunt servitio vel opere manuario.

S. Iur. Disp. 17. qu. 3.

X. CAP.

Quomodo fratres & sorores hæreditatem dividere debeant.

In-

In quacunque urbe fratres & sorores vel alii hæredes hæreditatem suam dividere volunt; ex eorum proximis consanguineis sex præsentes erunt, vel alii sex boni cives, quos consules & senatus ad hoc in curia constituunt. Et quo tempore hæreditas inter illos divisa est, & quilibet suâ parte contentus est; illi hæredes in curia se sistent consulibus & senatui, & significabunt ita divisum esse, & postea super eo plenas Civitatis literas (f) & Sigillum capient: In posterum enim non amplius nec sæpius de ea divisione se invicem inquietabunt. 1. §. Si etiam sic usuveniat, ut inter se contendant de partibus, & negent æqualiter divisum esse; duo senatores accedent, & inspicient partes eorum, & æquabunt eas cum sex prænominatis viris. Si nondum adquiescere velint æquationi partium ab illis octo factæ; illi octo jurabunt in curia, quod non possint æqualius inter illos partiri: & quilibet retineat quod accepit, & deinde hanc divisionem firment Civitatis (f) literis, nec unquam deinceps æquatio inter illos aut eorum liberos interveniat de iisdem bonis.

(f) *Hodiè legitimum Inventarium cum subscriptione personarum pub. & testium, est illarum loco.*

XI. *CAP.*

Si contendant duo de hæreditate, & ambo jure sibi eam vendicatum eant.

Si qui contendant de hæreditate, & ambo sibi eam jure deberi velint; jus & fas est, ut, qui manifestam consanguinitatem secundum jus ecclesiasticum habet, adeat hæreditatem. Si verò dubium aliquod subsit, nec manifesta sit consanguinitas; Prætor & Consules in curia sibi computari generationes curabunt, & illi hæreditatem adjudicabunt, qui plures rationes & optimorum virorum præsentiam adducit, & postea idoneè cavet, nullum adventurum proximiorem hæredem, quàm ipse est: ita tamen, ut, dubitationis tollendæ causa, qui hæreditatem ex sententia adit, probet proximitatem suam veram, non falsam esse, sex virorum juramento, duorum ex paternâ, & duorum ex materna lineâ, intra sextam (g) generationem. Si non habeat tales agnatos aut cognatos, accipiat alios bonos viros, hujus rei conscios, & exquirat probetque quilibet consanguinitatem suam, antequã unius aññi (h) præscriptio superveniat: aliàs retineat ille hæreditatem, qui in manibus habet.

(f) *Vid. Synops. Iur. Diss. 9. qu. 3.*
(g) *Triennii præscriptio, jure prov. c. 15. 16. h. t.*

XII. CAP.

XII. CAP.

Si quis proximior ſit hæreditatem posſidente, & interpellet eam intra noctem & annum.

Si quis proximior ſit illo qui hæreditatem in manibus habet, & interpellet illam, antequam unius anni præſcriptio accedat, à die vacantis hæreditatis; is hæreditatem ſuam capiat ſecundum legitima teſtimonia & ſententiam; licet remotiores eam ceperint. Eſt enim revocabilis hæreditas quam illegitimi capiunt, ſi juſto tempore interpelletur, ut ante dictum eſt.

XIII. CAP.

Quomodo concubinæ infans enutriẽdus ſit.

Mater alat naturalem ſuum filium, donec trium annorum ſit: deinde pater alat, donec ſit ſeptem annorum. Tunc utriusque cura circa eum erit, donec iterum ſeptem annorum erit. 1. §. Si infans pone nutricem collocetur, & per incuriam perdatur; Epiſcopus ei imponet diſciplinam eccleſiaſticam, cujus negligentiâ periit*.

* *Sive ſit mater, ſive nutrix ſit.*

XIV. CAP.

De concubinæ filii hæreditate, quomodo ea capi debeat, vel ipſe hæreditatem capere poſſit.

Si concubinæ filii opes augeri poſſint, & ille decedat relictâ pecuniâ; hujus dimidium pater & alterum dimidium mater hæreditate capiet: ſi alter eorum ſuperſtes ſit; totum capiet. Si illi non amplius exſtent; de ejus hæreditate, ut cujuscunque alterius, agetur. 1. §. Filius autem iſte non plus à patre ſuo hæreditate capiet, quàm tres marcas, ut & à matre defuncta. Quando legitimus filius ſex marcas hæreditate capit, concubinæ filius tres marcas capiet: ſive ſint plures, ſive pauciores, non plus quàm tres marcas capient. Si hæreditas minor ſit; nihil capient: ſi major ſit; non tamen plus quàm tres marcas capient *(i)*.

(i) Vid. Synops. Iur. Diss 9. qu. 5.

XV. CAP.

De ſcorti & alterius hujusmodi liberis, quatenus de eorum hæreditate agatur.

Si quis suscipiat liberos ex adulterio, incestu, concubitu cum virgine quam ex baptismo (k) susceperat, vel cum cognatâ suâ; illi exclusi sint ab omni hæreditate. Si quid opum adquirat pater eorum; una pars detur pro anima ejus, & unam partem capit Episcopus, alteram Rex, tertiam civitas post mortem ejus. De Sacerdotum liberis (l) eadem lex esto. 1. §. Si qui prænominatorum ineant matrimonium & gignant liberos; de eorum hæreditate fiat, quod de aliorum hæreditate.

(k) *Hoc hodiè abrogatum est. Synops. Iur. Diss. 3. qu. 15.*
(l) *Et hoc hodiè abrogatum est. d. loc. Diss. 9. qu. 4.*

XVI. CAP.

Si controversia oriatur de divisa hæreditate.

Si in controversiam veniat res hæreditaria divisa pro uno, pro omnibus [m] cohæredibus in controversiam veniet; sive hæreditas illa sit solvenda sive retinenda: & hæredes eam defendant jure civitatis, vel expendant.

(m) *Quatenus omnes sunt æqualis juris.*

XVII. CAP.

Quomodo defuncti æs alienum solvendũ sit.

Si vir moriatur, & relinquat æs alienum; illud solvetur ex utriusque conjugis indivisis bonis: deinde exprometur & præcipietur donum matutinale, testamentum, & legata, ex indivisis etiam bonis: Postea divident hæredes quæ supersunt, ut decet. Si bona non sufficiant æri alieno solvendo; ad id solvendum conferetur quoque testamentum & donum matutinale †: nec inde quid dabitur donatariis. Deficientibus bonis, grave est sumere nummos ubi nulli suppetunt, & hæredes liberi sint. Nemo verò potestatem habeat ullam hæreditatem dividendi, antequam æs alienum solutum sit, quod quis debet. Si bona non sufficiant æri alieno plenè solvendo, deficiet pro quota. 1. §. Si pignoris alicui obligati terminus exspirarit post viri mortem; ille, cui pignus obligatum est, potestatem habebit illud aut vendendi aut possidendi secundum legem, nec de eo quidquam expendet aut diminuet: Nisi pignus melius sit ex bonorum virorum æstimatione; tunc id quanto melius est, tradetur hæredibus ejus aut creditoribus. Si verò tempus obligati pignoris nondum finitum sit; possunt omnes ejus creditores illud vel possidere vel vendere, tam effica-

† *Vid. Synops. Iur. Diss. 9. qu. 11.*

efficaciter, quàm qui proprietarius ejus est, & quidem pro quota cujuslibet, ut, si deficiat, deficiat pro singulis. 2. §. Si etiam quidam hæredum quid ex hæreditate præripuerint, antequam ea divideretur, vel postea, & occultaverint quum debitum exigitur, & convincantur hujus facti; solvant omne debitum, quousque eorum bona sufficiunt, nec viri sint eo meliores (*n*).

(*n*) *Pœna expilatæ hæreditatis.*

XVIII. *CAP.*

De vacante & caduca hæreditate.

Si moriatur ille vir qui nullos hæredes intra regnum habet, & adveniat verus hæres intra noctem & annum cum plenis documentis & literis, quod sit legitimus ejus hæres; capiat hæreditatem. Si non adveniat intra annum & noctem; Rex capiat ejus bona hæreditaria, sive sint immobilia, sive mobilia: hoc olim dicebatur Danaarff*. 1. §. Si domus, fundus aut aliæ possessiones ei donatæ sint; donator eas revocet: ita tamen, ut notorium sit ex civitatis literis & sigillo, quod ea donarit. 2. §. Si vir indigena sit, & ejus hæredes indigenæ sint; ejus hæreditas tamdiu intacta stabit, donec adveniat verus hæres. Si verò quis ignoret alterius hæreditatem, nec de eo nuncius adveniat vel certa relatio ubi sit, vel ipse non adveniat intra noctem & annum à tempore vacuæ hæreditatis; Rex dimidium capiat, & dimidium pro anima ejus detur†.

* *Vid. Lexic. Iur. Sueo-goth. in* Danaarff. *art. 19. de Commerc.*

† *Hodiè in pauperes erogatur.*

XIX. *CAP.*

Quomodo vir aut mulier facere testamentum aut legatum debeat: & alia, quæ ad exsequias pertinent, præstare teneatur.

Si vir aut mulier condere testamentum velit, sive bene valens, sive in morbo decumbens, & post se liberos habeat; ei sit potestas legandi decimam partem ex omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus. Si non habeat liberos, sed alios hæredes intra regnum; ei sit potestas legandi tertiam partem omnium bonorum, ut ante dictum est. 1. §. Si ille vel illa non habeat indigenas hæredes, sed extraneos; potestatem habeat legandi dimidium omnium bonorum, ut prius dictum est: non tamen legandi aut donandi in

fraudem suorum (*o*) hæredum, vel liberorum, vel extraneorum hæredum, domum, prædium aut fundum, si huc migrare & hîc in regno habitare velint: sed ita, ut hæredes intra annum & diem, si velint, istæc redimere (*p*) possint. 2. §. Omnia testamenta, omne æs alienum, & funeris expensæ & alia hujusmodi, ex indiviso præstabuntur ac solventur. Omnem impensam posthumam post defunctum erogandam solvet hæres, veluti pro menstrua pulsatione campanarum in memoriam defuncti, & pro convivio in divisione hæreditatis, & alias hujusmodi erogationes posthumas.

(o) *De legatis vid. Syn. Iur. Diss. 7. qu. 1. Diss. 8. qu. 5. 11. 12. 13.*
(p) *S. I. Diss. 22.*

XX. CAP.

Si quis aliquam personam de propinquis suis vel non propinquis nuptum det ex bonis suis, & illa moriatur absque liberis, quomodo inde hæreditas capi debeat.

Si vir nuptui det cognatam vel extraneam ex bonis suis, & illa postea absque liberis moriatur; bona ad donatorem redeant, vel quantum ex illis expensum & collatum est in illam vel illum. Quæ supra bona industrialia sunt, proximi hæredes capiant: Sed donata confirmentur civitatis literis & sigillo.

XXI. CAP.

De pecunia quam compater aut commater donat infanti ex baptismo à se suscepto, vel de quocunque alio dono, quomodo hoc dividi & hæreditate adquiri debeat.

Si compater aut commater infanti à se ex baptismo suscepto pecuniam det, vel aliud quid, & pater aut mater infantis illam pecuniam trans mare commercandi causa mittat; incrementum & decrementum istius pecuniæ infantis commodo cedet (*q*), & illos nummos præcipiet infans ex indiviso: deinde fratres & sorores paterna ac materna bona inter sese. 1. §. Si rixa oriatur inter

(q) *Sed periculo parentis, arg. c. 15. Gifft. Gl. si naufragio pereat. Confer Synops. Iur. Diss. 4. qu. 1.*

ter illos de bonis, ut unus dicat sic esse, & alter aliter; tunc illud stabit præsentium virorum testimonio, vel parentum jam mortuorum literis, ita factum esse. Si unus eorum dicat plus esse, alter minus; ille, qui tenet bona, cum sex virorum juramento asseret, tanta ea fuisse. Et tunc prius cognoscetur, quomodo ea bona in commercium sint collocata: & illa bona donata atque sic adquisita in hæreditatem veniant, ut omnia alia bona hæreditaria, si filius, qui ea adquisiverat, mortuus sit.

TITULUS IV.

DE JURE AGRARIO.

1. *Quomodo bona hæreditaria publicè denunciari, & vendi, vel hypothecæ obligari debeant.*
2. *Quomodo consanguinei fundum aut domum redimere possint.*
3. *Si rixa oriatur inter vendere volentem & consanguineum redimere volentem, qui neget fundum aut domum legitimè esse denunciatam, vel sibi domi oblatam.*
4. *Quomodo adquisitus vel adventitius fundus aut domus vendi debeat.*
5. *Quali pretio liceat fundum aut domum redimere.*
6. *Quomodo quis fundum aut domum alienare possit venditione vel permutatione.*
7. Si *emptus fundus vel domus in controversiam vocetur.*
8. *Si quis evictionem præstare non possit in venditione vel permutatione.*
9. *Quomodo alterius fundus aut domus vendi possit.*
10. *Quomodo impuberis aut virginis fundus vendi vel redimi debeat.*
11. Si *fundus aut domus permutetur cum agro ruri sito.*
12. Si *utraque, emptio & permutatio ex urbe & ruri fiat.*
13. *De legitima agri, fundi & domus usurpatione.*
14. *Si quis accipiat agrum ante agrarii diem, & domum aut fundum ante migrationis diem.*
15. *Quomodo liberi teneantur alere patrem suum aut matrem suam.*
16. *Quomodo paterfamilias uxoris suæ agrum, fundum aut domum alienare aut vendere possit, vel uxor mariti.*
17. *Quomodo illæ declarationes, quas vir aut fœmina facit in extremâ mortis suæ horâ, stabiliendæ sint.*

I. CAP.

Quomodo bona hæreditaria publicè denuntiari, & vendi, vel hypothecæ obligari debeant.

SI quis vendere velit fundum suum vel domum suam, quam hæreditate accepit; eandem domum tribus diebus Lunæ in curia legitimè denunciari curabit, & postea (a) offerat domi eam propinquis, patris agnatis paternam domum, & matris cognatis maternam domum, vel quicunque sit fundus: si pro domo tantum dare velint, quantum alii indicant; emant eam: si nolint; vendant, ubi optimè possunt. Et illa domus vel fundus inemptus erit per quatuordecim dies, postquam legitimè denunciatus est extraneis, ut propinqui interea secum deliberare possint, num illam domum aut fundum emere velint, vel non. 1. §. Si quis possessiones hæreditarias hypothecæ obligare velit; prius offeret eas propinquis, si in regno sint, paternis propinquis paternam domum, maternis propinquis maternam domum, ut ante dictum est. Si illi nolint ei mutuo dare pecuniam in istam domum; hypothecæ eam obliget, ubi velit. Si non redimat eam ad præfinitum diem; ille qui mutuo dedit, curabit denunciari publicè tribus diebus Lunæ, deinde offeret propinquis eam redimendam, si in regno sint, & servet illis per quatuordecim dies. Si nolint eam redimere, in posterum nullum impugnandi illam hæreditatem jus habeant: Et qui mutuò dedit pecuniam, sibi redimet illam domum, si possidere velit, secundum quatuor bonorum virorum æstimationem, duorum ex utriusque parte, vel vendet pro justo pretio. Si domus mutuo melior sit; refundet quanto melior, secundũ eorum æstimationem: si deterior sit; supplebit oppignerans secundum eorundem æstimationem.

(a) *Vid. Synops. Iur. Diss. 22. th. 9.*

II. CAP.

Quomodo consanguinei fundum aut domum redimere possint.

Si

Si contingere possit, ut quis vendat fundum, aut domum in curia non denunciatam, vel consanguineis domi non oblatam; ille, qui hoc facit, mulctabitur tribus marcis inter Regem, actorem & civitatem tripartiendis; & consanguinei redimenc fundum aut domum pro eodem pretio, intra duodecim dies à tempore scientiæ, & intra eundem annum quo vacuefacta est hæreditas. Deinde confestim in curiam veniet, & pecuniam suam (b) offeret, ex quo vendita est, & cum tribus jurabit, quod non prius resciverit. Si non redimat intra dictum tempus; postea nihil juris in eam habebit. 1. §. Si contingere possit, ut quis hæredum peregrè abfuerit, & intra annum & diem redeat, ex quo domus aut fundus venditus erat; sex hebdomadarum spatium habebit, ex eo die quo rediit, ad redimendum illum fundum pro eo pretio, quo venditus est. Si fundus interea melior redditus sit; restituet secundum quatuor bonorum virorum æstimationem. Si intra sex hebdomadarum spatium dictum fundum aut domum non redimat; eadem lex sit, de qua ante. Et qui peregrè abfuerat, sex hebdomadarum dies, postquam circumvolutus est annus, à die venditæ possessionis habebit ad redimendam jure sanguinis suam possessionem, si prius domum redeat. Eadem lex sit de virgine & impubere. 2. §. Si quis habitet extra urbem, indigena tamen, & domum venditam redimere velit; probabit hoc trium virorum juramento, quod nunquam hoc resciverit prius quàm ante sex hebdomadas à die adventus sui, illam domum venditam vel obligatam esse, & quidem intra eundem annum, quo hypothecæ obligata aut vendita erat. 3 §. Si quis plures pro ea nummos capiat, quàm pro eo dati erant, & ejus rei convincatur per duos viros; mulctabitur XL. marcis tripartiendis, inter actorem, Regem, & civitatem, quia per mendacium hoc sibi adquisivit: Nisi probare possit, domum meliorem redditam esse.

(b) *Vid. Synops. Iur. Diss. 22. de jure Retract. qu. 3.*

III. CAP.

Si rixa oriatur inter vendere volentem, & consanguineum redimere volentem, qui negat fundum aut domum legitimè esse denunciatam, vel sibi domi oblatam.

Si

Si qui rixentur, & unus dicat, fundum vel domum legitimè esse denunciatam, alter verò neget; Prætor Consules & Senatores, qui tunc in curia erant & audiebant, eandem domum probabunt esse denunciatam, & hoc inter illos decident. Si affirment eam esse denunciatam; impunè sit: si negent; mulctabitur contra contendens tribus marcis tripartiendis, inter actorem, Regem & Civitatem: & potestatem habebit redempturus eandem domum redimendi, ut ante dictum erat. 1. § Si contentio adhuc stet, & consanguinei negent fundum aut domum legitimè esse denunciatam; testentur hoc duo viri, fundum nimirum aut domum in eorum præsentiâ legitimè esse consanguineis domi oblatam Si dicant hoc verum esse; id ratum sit: si negent; sit mulcta trium marcarum, & consanguinei redimant, ut ante dictum est 2. § Ubicunque fundus aut domus vel aliud pignus possessori vel agnato offerri debet; hoc per duos cives fiet & firmabitur.

IV. CAP.

Quomodo adquisitus vel adventitius fundus aut domus vendi debeat.

Quicunque adquisitum vel adventitium fundum aut domum vendere vult, non necesse habet eam diutius hæredum commodo retinere, quum publicè denunciata est, quàm octiduum. Si nolint illum fundum aut domum redimere, ut dictum est; possessor eam vendat, ubi optimè potest. nisi eam emerit ab hæredibus suis: si ita emerit, eadem lex sit de illo fundo aut domo, quæ de alio fundo aut domo, ut ante dictum est.

cap. 1. 2. h. t.

V. CAP.

Quali pretio liceat fundum aut domum redimere.

Hæc sunt pretia quibus redimendus est fundus vel domus: aurum, argentum, præsens pecunia, frumentum, bos, lardum, butyrum, pannus levidensis, linteum, pannus nondum dissectus, & omnis generis pretia pro valore ac cursu rerum, & quatuor boni viri æstimant, duo utrimque. Et pro tanto pretio fundus ac domus redimi debent, pro quanto vendebantur (c): Et prout illi quatuor inter eos constituunt, ita cæteri adquiescent. 1. § Nemini licebit

(c) *Ejus enim jure redemptor utitur, in cujus locum succedit. S. I. Diss. 22. qu. 4.*

licebit quemcunque fundum aut domum redimere, nisi ipse eam possidere velit, & in ea habitare ad minimum tres annos: Nisi necessitas eum urgeat ad illam vendendam. Hoc ipsum verò investigabitur, ob quam causam eam redimeret.

VI. CAP.

Quomodo quis fundum aut domum alienare possit emptione vel permutatione.

Ubicunque quis alienat fundum suum emptione vel permutatione; hoc firmum est: & illum fundum aut domum agnato redimere non licet. Et hoc fiet publicè * in curiâ coram Prætore, Consulibus & Senatu, & in hoc dabunt assem in signum quietæ possessionis, secundum veterem constitutionem, & idem plenis Civitatis literis Sueticè scriptis ac Sigillo ibidem confirmabitur, vel inscribetur civitatis codici: & determinabitur, quot ulnas iste fundus aut domus lata aut longa sit, & ubi fundus situs sit, quicunque sit fundus, & quo tempore anni hæc permutatio facta sit, & quot nummos alter alteri addiderit. 1. §. Fundus aut domus empta, cui non intervenit permutatio, vel ære alieno onerata, vel quod alter alteri donat, itidem firmabitur civitatis literis, nec aliter: quippe si contentio quædam interveniat inter illos qui illum fundum aut domum emerunt, & juxta habitant (d), vel si de fundo illo aliàs litigetur, vendens inficiari nequit, vel quot ulnas alteri vendiderit. Et scribæ civitatis duæ oræ dabuntur, quod illud inscripserit codici civitatis.

* *Vid. qu. 2. Dissert. 14. in Synops. Iur.*

(d) *Ibid. Diss. 22. Qu 7.*

VII. CAP.

Si emptus fundus vel domus in controversiam vocetur.

Si quis emat fundum aut domum ab alio; cavebit venditor de evictione, & emptor de pretio. Si rixa oriatur in hac re empta; primus author aut venditor comparebit: qui si potestatem dominii rei emptæ transferendi adserere possit; rata erit res empta emptori. Si verò non compareat venditor, aut compareat, sed evictionem præstare nequeat; quisque ad suum redibit, & mulctabitur tribus marcis tripartiendis inter Regem, actorem & civitatem, qui vendidit. Et sic observetur in omnibus emptionibus.

Confer l. 11. §. 2. D. de act. emt. vend.

VIII. CAP.

Si quis evictionem præstare non possit in venditione vel permutatione.

Si quis alienet fundum suum vel domum, sive venditione, sive permutatione, & postea fundus iste vel domus ab uno ac altero transeat ad tertium possessorem, vel ulterius; & de illis lis moveatur primo alienanti, qui evictionem præstare nequeat, mulctabitur tribus marcis tripartiendis, inter actorem, Regem & Civitatem, pro re non evicta: & reliqui erunt insontes. Et ille redibit ad pecuniam qui eam expendit: & ille recipiet fundum aut domum, qui eam tradidit & possedit (e).

(e) *Confer c. 11. Egnsal. OL. Syn. Iur. Diss. 15. qu. 9.*

IX. CAP.

Quomodo alterius fundus aut domus vendi possit.

Nemo potestatem habeat vendendi vel sub hypotheca obligandi alii alterius fundum vel domum, absente ipso domino; sed plenam potestatem habeat & patentes literas (f) ab illo, ad evictionem præstandam emptori. 1. §. Omnes ædes & fundi sub hypotheca obligabuntur in curia (g), nec alibi.

(f) *c. 1. § 2. h. t. WL. Diss. 18. qu. 5.*
(g) *Publica hypotheca privatæ præfertur. Diss. 19. qu. 1.*

X. CAP.

Quomodo impuberis aut virginis fundus vendi vel redimi debeat.

Nemo potestatem habeat impuberis, aut virginis, aut amentis fundum aut domum, vel quæ ad eos pertinent, vendendi aut permutandi, nisi id in melius fiat. Sed quo tempore impuber ad pubertatem venit, vel virgo nupta est, potestatem habeant revocandi illam permutationem, vel non revocandi; non tamen aliter, nisi in deterius permutatio facta sit. Et consules ac Senatus cognoscent ipso facto quando id contingit, ut non absque sufficientibus rationibus † contingat: ideoque nullum inde decretum faciunt.

† *et ex inevitabili necessitate. Vid. Syn. Iur. Diss. 4. qu. 6. inprimis Const. R. de Tutela art.* 26, 27, 29, 34.

XI. CAP.

Si fundus aut domus permutetur cum agro ruri sito.

Si

Si quis permutet fundum in emporio situm cum terra vel possessione ruri sita, & sufficiens recipiat ruri ratione pretii ac æstimationis; hoc firmum & ratum erit. 1. §. Si emptio & permutatio ruri fiat; utraque valeat, ut alia emptio & permutatio: & hæ firmentur pub. literis tam in provincia quàm urbe, ut omnes aliæ emptiones & permutationes.

c. 8. eod. UL.

XII. CAP.

Si utraque emptio & permutatio ex urbe & ruri fiat.

Si qui faciant tam emptionem quàm permutationem ex urbe in pagum, vel ex pago in urbem, atque permutatio pluris †, emptio minoris sit; tunc permutatio prævalet. Si emptio pluris, & permutatio minoris sit; terra consanguineorum retractui patet, & emptio prævalet. Si utraque æqualis sit; ad familiam revertantur, in qua ante fuerunt.

† *Vid. Synops. jur. Diss. 14. qu. 3.*

XIII. CAP.

De legitima agri, fundi & domus usurpatione.

Omnis terra quæ permutatur aut venditur ex pago in urbem, dirigatur secundum leges provinciales: & omnis terra, quæ permutatur ex urbe in pagum, dirigatur secundum leges civitatum. 1. § Ubi duo litigant de agro; illius erit agrarium, qui agrum possidet aut obtinet in judicio, si seminatus sit: Nisi vi apprehendat possidendi potestatem vel agrarium. Et ubi civis à colono pretium aut fundum sibi vendicat, & in eo habitavit aut locavit; restituat ipsi mercedem conducti prædii (h).

(h) *Pro ratâ temporis inhabitationis.*

XIV. CAP.

Si quis accipiat agrũ ante agrarii diem, & domũ vel fundum, ante migrationis diem.

Quicunque emit agrum vel permutat cum alio, vel sub hypothecâ accipit, ante agrarii diem; ille habeat agrarium, qui agrum tunc possidet (i). Eadem lex sit de fundis aut ædibus, aut fundis emptis vel permutatis, ante migrationis diem.

(i) *Quia fructus solum sequuntur, ut pars fundi.*

XV. CAP.

Quomodo liberi alere teneantur patrem suum aut matrem suam.

Liberi debent patrem suum ac matrem suam sustentare & alere, si ægroti sint, aut membris debiles, & liberi ad pubertatem venerint. Primò maximus natu filius eos sustentabit, & postea minores natu; & pro annuo victu capient tres marcas ex eorum mobilibus: quæ si non sufficiant; ex hæreditariis bonis immobilibus capient. Si expellant parentes, & tamen locupletes sint; singuli mulctentur pro quolibet anno, dum ipsi pro suo malevolo arbitrio agunt, tribus marcis, & hæc sit peculiaris mulcta parentum. 1. §. Si nolint parentes suos alendos recipere; proximi hæredes eos recipient, prout inter illos convenit, sive vivis, sive defunctis liberis. Si pater diutius superstes sit, quàm hæreditas ejus sufficiat; nihilominus pater (aut mater) ut ante, alentur, aut mulctæ prius dictæ hîc locus erit. Si nec proximi hæredes eos recipere velint; prospicient sibi ubi optimè possunt cum bonis suis, & hæredes postea nullum jus in eorum bona habebunt, ut pro arbitrio suo de illis agant.

Confer in Synops. Iur. Dis. extraord. 2. de jure Amipelarg. & c. 12. de Hæred. OL.

XVI. CAP.

Quomodo paterfamilias uxoris suæ agrum, fundum aut domum alienare aut vendere possit, vel uxor mariti.

Non debet paterfamilias uxoris suæ fundum, agrum vel domum alienare aut vendere, nisi hæ causæ hîc enumeratæ urgeant (*k*). Si externus exercitus huc irrumpens, paganus aut Christianus, capiat maritum vel uxorem & abducat, postea nuncio accepto, concedatur captivos redimere: non verò aliud suppetat, quàm fundus aut domus uxoris; marito licebit id vendere, vel quicquid sit, & uxorem suam redimere: & sic uxori maritum captivum redimere licebit. 1. §. Si liberos habeant, vel non, & illos urgeat fames vel egestas (*l*), nec ea oriatur ex prodigalitate, ut ex alea, vel aliis hujusmodi; alteri licet alterius bona alienare vel

(*k*) *c. 14. de conjug. OL.*
(*l*) *Quò etiam refertur æs alienum ex necessitate contractum arg. c. 15. de judic. Curial.*

vel consumere. Terra verò ruri sita dirigatur secundum Leges provinciales in hoc casu. Alio modo non licet alteri alterius bona consumere vel alienare; nisi cum utriusque, & propinquorum consensu fiat.

XVII. CAP.

Quomodo illæ declarationes, quas vir aut fœmina facit in extremâ mortis suæ horâ, stabiliendæ sint.

Omnia quæ vir aut fœmina in ultimo vitæ suæ tempore fatetur & loquitur, & juramento suo firmat, ut decet, sive ille quid alii debeat, sive alius ipsi, vel de alio negotio; hoc firmum & stabile erit. ita tamen ut tres minimùm viri adsint: unus qui debitum solvere vel accipere quid debet ejus nomine, duo qui jusjurandum præstare, si ita necesse sit, affirmare & jurare debent, quæ audiverunt (m).

(m) *Confer Synops. Iur. Diss.* VIII. *qu.*1.

TITULUS V.

DE JURE ÆDIFICANDI.

1. *Duo viri erunt in qualibet civitate, qui ædificia videbunt & inspicient, & inter alios decident, quomodo ædificare, vel domos suas demoliri debeant: & de mulcta reorum.*
2. *Quomodo latrina sit exstruenda.*
3. *Si quis in alieno solo absque venia ædificet.*
4. *Si quis ædificet supra alterius tectum.*
5. *Si quis faciat parietem ex alterius ædibus.*
6. *Quàm latæ debeant viæ publicæ esse.*
7. *Quomodo vestibula sint exstruenda.*
8. *De exstructione pontium.*
9. *Quomodo illi viri ædificare debeant qui ambo possident unum fundum: vel si unus inferius, alter superius ædificet.*
10. *Si quis ab alio conducat domum, & postea servare contractum nolit.*
11. *Si dominus locet alteri domum, & postea servare contractum nolit.*
12. *Si quis immigret in alterius domum, & postea emigrare ea velit: vel dominus expellat hospitem.*

I. CAP.

Duo viri in qualibet Civitate erunt, qui ædificia videbunt & inspicient, & inter alios decident, quomodo ædificare, vel domos suas demoliri debeant: & de mulctâ reorum.

DUo ædiles erunt in qualibet civitate qui curam & inspectionem ædium habebunt, ita ut quicunque demolitur domum atque iterum exstruere cupit, ante dictos viros cò vocabit, & vicinos suos, qui ejus rei notitiam habent, & ædificabit secundum legem & veterem præscriptionem †, & relinquet inter suam & vicini sui domum unius ulnæ latum spatium * pro stillicidio. Quisquis aliter ædificat; destruat, & mulctetur sex marcis inter actorem, Regem & civitatem partiendis.

† *Vid. Synops. Iur. Diss. 5. qu. 8. 9.*
* *Lege Solonis erat quoque duorum pedum spatium. l. 13. d. fin. reg.*

II. *CAP.*

Quomodo latrina sit exstruenda.

Nemo

Nemo exſtruat latrinam prope vicinum ſuum, vel ad viam publicam (a), ſed relinquat inter vicini & ſuam domum trium pedum ſpatium pro ſtillicidio. Qui ſecus exſtruit; deſtruat, & ſex marcis tripartiendis mulctetur, ut ante dictum eſt.

(a) *Ne incommodet vicino, aut deformet platearum aſpectum.*

III. CAP.

Si quis in alieno ſolo absque veniâ ædificet.

Si quis in alieno fundo absque permiſſione † domini fundi ædificet; demoliatur domum, & mulctetur tribus marcis tripartiendis, ut prius dictum eſt.

† *Domino permittente poteſt, & pro ſolario, aut conducti fundi mercede* (Tomptöre).

IV. CAP.

Si quis ædificet ſupra alterius tectum.

Si quis ita ædificet in alium, ut deſtillet pluvia in alterius tectum & corrumpat illud; abſcindat, & mulctetur ſex marcis, ut ante dictum eſt. 1. § Ubi contiguæ ſunt binæ ædes, quisque ſuam domum ædificet, & tignum jungat tigno impunè.

V. CAP.

Si quis faciat parietē ex alterius ædib9.

Si quis faciat parietem (b) ex alterius domo, absque poſſeſſoris conſenſu; deſtruat & mulctetur ſex marcis ante dictis: vel maneat in poſſeſſoris memoria, ita ut ei ſalva ſit conventio contra illum.

(b) *Invito vicino, ſervitus ejus ædibus imponi nequit.*

VI. CAP.

Quàm latæ debeant viæ publicæ eſſe.

Omnes viæ publicæ vel plateæ octo ulnas (c) latæ erunt, ut in illis agi currus & equitari poſſit. Qui ſecus ædificat; deſtruat & mulctetur ſex marcis tripartiendis, ut antea dictum eſt.

(c) *Hodiè ſedecim ulnas.*

VII. CAP.

Quomodo veſtibula ſint exſtruenda. Qui-

Quicunque exſtruit veſtibula ſuper transverſam plateam; diruat ea, & mulctetur ſex marcis tripartiendis, ut ante dictum eſt. 1.§. Nemini licebit veſtibula domus longius exſtruere in plateam aut viam publicam, quàm unam ulnam cum dimidio: ſed ſi ſecus fecerit, abſcindat, & mulctetur ſex marcis, ut ſup. dictum eſt; niſi tantum ſpatium ſit in via publica. Prætor & conſules ſpectent, quomodo ſe res habeat (*d*).

(*d*) *Iidem viæ publicæ obſtacula prohibent.*

VIII. *CAP.*

De exſtructione pontium.

Quisquis ad aquam ædificat, debet prius pontem exſtruere ex omnibus ſuis ædificiis ſuper aquam, ſi reliqua ſua ædificia tam citò exſtruere non poſſit, ideò, ne qui ſupra eum habitant, aquæ cauſa, damni quid patiantur, vel ut mundi ac ſine noxa ad aquam deveniant. Si quis ita non ædificet, ut modò dictum eſt, & querela in eum oriatur; ſex marcis, ut ante, mulctetur. Et ille prius in curiam vocabitur, & prætor, conſules ac ſenatores tempus ei ad exſtruendum iſtum pontem conſtituent. Quod ſi in publico civium conventu ei ſit indictum, nec intra menſem hoc faciat; mulctetur, ut prius dictum eſt. 1.§. Quisquis non mundat plateas ſuas eo tempore quo jubetur à prætore & ſenatu; mulctetur tribus oris bipartiendis, inter Regem & civitatem. Niſi ſterni ſilicibus curet plateas ſuas eo die quo ipſi imponitur; mulctetur tribus oris, ut ante dictum eſt.

Et nihilominus ſuâ impensâ ſterni curet.

IX. *CAP.*

Quomodo illi viri ædificare debeant, qui ambo poſſident unum fundum, vel ſi unus inferius, alter ſuperius ædificet.

Ubi duo ſimul ædificant, unus inferius, alter ſuperius; ille qui inferius ædificat, perticas iſtic exſtruet & omnia quæ eò pertinent: & qui ſuperius ædificat; exſtruet tectum & omnia eò pertinentia. Si uni damnum ab alio propter ejus negligentiam inferatur, vel ex ædificiis ſuis vel contentis in domo, quatuordecim inde diebus, poſtquam ei legitimè cum duobus viris hoc indicavit; reſarciat ei (*e*) omne damnum ex ædificiis ſuis vel contentis

(*e*) *Confer c.* 24. Kōp. Bl.

tentis in domo illatum, secundum quatuor bonorum virorum æstimationem, duorum utrimque. Atque si ambo istic possideant unum ædificium commune, sive fundum, sive cellam, sive domum lateritiam; eadem lex esto, ut prius. 1. §. Si alteruter eorum egenus sit, nec ædificare possit, vel tergiversetur & ædificare nolit: & qui superius habitat, velit ex lateribus ædificare, nec ille qui inferius habitat, vel non possit: vel ubi duo possident unum fundum, cellam aut domum lateritiam simul, & unus ex lateribus ædificare velit, alter nolit, vel non possit; Prætor, Consules & Senatores nominabunt quatuor bonos viros, vel ex senatu, vel alios cives, qui inter illos determinent pro ratione spatii: ita tamen, ut quilibet ita ædificet, ne sit incommodo aut oneri aliis (*f*), vel etiam in sequestro ponant pecuniam, parem pari, & ex conscientia sua & jurejurando adserant, quod non possint hæc melius partiri vel æstimare. Eligat postea ille, qui compositionem offert, & ædificet, quàm optimè potest, & super hoc capiantur civitatis literæ, & deinceps nulla amplius compositio interveniat inter illos aut illorum liberos de illo fundo, aut quicquid sit. 2. §. Nulli etiam licebit, quod infra alios situm est, sub mulcta trium marcarum, inter actorem, Regem & civitatem partiendarum: vel quod juxta alios situm est, si spatium ita comparatum sit, & boni viri hoc spectare possint: vel quod supra alios est, ut prius dictum est, alicui vendere, nisi vicino (*g*), si ille hoc emere velit. Sed prope habitans hoc revocare potest intra diem & annum, æquè ac si jus consanguinitatis esset, ab illo cui venditum erat; nisi huic legitimè denunciatum & domi ablatum sit (*h*) cum duobus viris. Si tamen ejus propinqui redimere & in eo habitare velint, ut decet; illi proximiores erunt. Si nec illi, nec vicinus illud emere velint; licebit possessori id vendere cui velit [*i*].

(*f*) *c. 33. b. 1. ll. in fin.*
(*g*) *c. 6.* Jord. B.
(*h*) *c. 1. 2.* Jord. B.
(*i*) *Synops. Iur. Diss. 22. qu. 4. 5.*

X. CAP.

Si quis ab alio conducat domum, & postea servare contractum nolit.

Si vir aut mulier conducat domum ab alio, totam vel dimidiam, & contractum servare nolit, arrâ & duobus testibus firmatum; pendat dimidium mercedis annuæ [*l*], & migret, quò velit.

(*l*) *Si nondum immigrarit domum. Sed plenam mercedem, si jam immigrarit. inf. c. 12.*

XI. *CAP.*

Si dominus locet alteri domum, & postea servare contractum nolit.

Si dominus contractum locationis servare nolit; adjudicabitur conductori permanere in conductâ domo: vel locator ei dimidium mercedis & arram restituet [*m*], & ipse sibi deinceps habebit domum: Nisi incendio corripiatur domus; tunc uterque dominus & hospes in ea habitabunt, & dimidium mercedis annuæ remittet hospiti dominus.

(*m*) *Conf. Syn. Iur. Diss. 16. qu. 1.*

XII. *CAP.*

Si quis immigret in alterius domum, & postea emigrare eâ velit; vel dominus expellat hospitem.

Si quis immigret in alterius conductam domum, & postea ante tempus ex ea emigrare velit; domino plenam conductæ domus mercedem solvat, & postea migret, quò vult. Si etiam dominus tale quid faciat hospiti; eadem lex erit: & par ratio de omnibus ædibus (*n*) conductis.

(*n*) c. 15. Stip.

XIII. CAP.

Quomodo renuncianda sit domus, si quis ex eâ emigrare velit, vel dominus ipse in eam immigrare velit.

Si dominus ipse velit uti domo sua; uno mense ante immigrationem hoc significabit conductori cum duorum virorum testimonio, atque sic conductor significabit locatori. Si dominus non ita indicet hospiti; licebit hospiti remanere in conducta domo usq; ad alterum conductionis terminum. Si etiam hospes non ita significet domino; hospes remaneat usque ad alterum contractus terminum, & domino solvat tantum pecuniæ, quantum cum eo paciscebatur pro anno.

XIV.

XIV. CAP.

Si dominus promittat conductori tegere domum, & circumquaque benè ædificare, nec illud faciat.

Si locator promittat conductori domum tegere, & benè ædificiis & aliis necessariis instruere, præcipuè labro cupreo pro coquenda cerevisia, farreo & caldario, & quicquid sit: Si hoc impleat; accipiet omnem mercedem pro domo sua. Si non impleat; tantum deducatur de mercede domus ejus, quantum senatores illud æstimant, si locator ipse hæc exstruat & suâ impensâ fieri curet, cum duorum virorum testimonio; & illa computabuntur in ejus mercede. Si verò locator conductoris domum, bynedum, labrum cupreum, aut quicquid sit, corruperit; resarciat damnũ (o), ex quatuor bonorum virorum, duorum utrinque, æstimatione.

(o) *Suâ culpâ datum damnum.*

XV. CAP.

Si quis fruatur alterius pecore, vel imponat signum alterius signo, vel duo rixentur de uno signo.

Si fœmina mulgeat alterius pecus, ovem aut capram, & in eo deprehendatur; mulctetur unâ marca tripartienda, inter actorem, Regem & civitatem. Si in facto non deprehendatur, sed insimuletur ejus; proprio se purget juramento. Si fœmina mulgeat vaccam alterius, & in eo deprehendatur; mulctetur tribus marcis tripartiendis, ut ante dictum. Si solvere mulctam nequeat; flagelletur tam pro uno, quàm pro altero. Si insimuletur istius facti, nec in eo deprehensa sit cum duorum virorum testimonio; purget se suo & trium virorum juramento. Si deficiat in juramento, nec mulctam solvere possit; ad laborandum damnetur, pro actore, Rege & civitate. 1. §. Si quis imponat signum alterius signo cujuscunque rei, vivæ vel inanimatæ: si melior sit dimidiâ orâ, & minor una marca, & in ipso actu deprehendatur; mulctetur xx. marcis tripartiendis, inter actorem, Regem & civitatem. Si mulctam solvere nequeat; flagris cædatur, & ex urbe proscribatur. Si in ipso facto non deprehendatur,

tur, sed insimuletur ejus; purget se sex virorum juramento: si deficiat in juramento; damnetur ad facinus. Si ille vel illa non possit solvere mulctam; damnetur ad laborem, pro actore, Rege & civitate. Si res unius marcæ pretii sit, & coram deprehendatur, duobus testibus; mulctetur XL. marcis, nec vir eo melior sit, vel relegetur ex urbe, præcisis ipsi duabus auribus. Insimulatus, purget se cum sena manu: in quo si deficiat, nec solvere mulctam queat; lex de eo ante dicta sit, ut ad laborem damnetur. 2. §. Si quis exscindat vel amputet alterius signum, & suum (p) imponat, nec se purgare possit à quo acceperit, & deprehendatur in eo cum sex virorum testimonio; suspendatur, si res sit dimidiæ marcæ pretii: Si minus sit; agatur cum eo, ut aliis furibus. Si in ipso facto non deprehendatur cum testibus, sed ejus insimuletur; purget se cum duodecim viris, vel emptionis testibus, quod illud emptione sibi adquisiverit, nec aliter: si deficiat in juramento; damnas sit facti.

(p) *Confer tit. Cod. Ut nem. lic. sine jud. aut. signum r. i. Nov. 17. c. 15.*

XVI. CAP.

Si quis occidat alicujus pecus deditâ operâ.

Quicunque ex proposito occidit alterius pecus, vaccam aut equum, vel quodcunque sit; si melius sit duabus oris, rependat illud æquè bono pecore, vel tot nummis, quot æstimari poterat, secundum duorum virorum æstimationem, si duorum virorum testimonium adsit, & cum tribus marcis tripartiendis: & sic pro secundo aut tertio; vel se purget sex virorum juramento, & qui rependit, mortuum pecus capiat. 1. §. Si quis dein occidat plura pecora dedita opera, hoc dicitur occisi gregis cædes; ille resarciat damnum, & mulctetur XL. marcis tripartiendis, si duo testes adsint: vel purget se sex virorum juramento. Si quis occidat alterius pecus ex proposito, minus duabus oris; possessori duplum reddat, & impunis sit. 2. §. Si quis alterius canem lethaliter percutiat; mulctetur sex oris, inter actorem, Regem & Civitatem tripartiendis (q).

(q) *Vid. Synops. Iur. Differt. 26. qu. 10.*

XVII. CAP.

Si quis occidat alterius pecus casu.

Qui-

Quicunque alterius pecus occidit, sed non animo occidendi; æque bonum restituat, ex duorum bonorum virorum æstimatione, & purget se duorum virorum jurejurando, quod casu, non studio hoc fecerit: & liber sit ab omni mulcta. 1. §. Si quis roget alium adjuvare se in pecore suo, in secando venam equo, vel alii jumento, & pejus accidere possit, quàm velit manum admovens; purget se duorum virorum juramento, quod non fuerit in culpa (r) damni dati, vel æquè bonum restituat.

(r) *Voluntas & propositum distinguunt maleficia.*

XVIII. CAP.

Si quis vulneret alterius pecus aut mutilum reddat.

Si quis vulneret alterius pecus, vel percutiat, ita tamen, ut inde non patiatur mortem: si sit equus, equa vel bos, nec inutilis sit factus operi faciendo; ille qui infligebat vulnus, capiat jumentum & curet, & reddat patrifamilias jumentum habile ad negotia sua, & solvat ei peculiariter sex oras. Si cædatur, nec mutilum factum sit; paterfamilias suam recipiat: si mutilum reddatur; capiat ille qui percussit, & pro eo integrum reddat patrifamilias, ex duorum virorum æstimatione, si adsint duorum virorum testimonia: vel cum tribus se purget, quod nunquam hoc fecerit. 1. §. Si quis aliud pecus pro alio percutiat vel impetat lapide aut ligno, sic ut inde damnum patiatur, non mortem; solvat patrifamilias mulctam trium mulctarum seorsum, si testes adsint: vel purget se cum duorum virorum juramento. Si casu (ſ) acciderit; tam pro uno quàm altero pecore patrifamilias solvantur loco mulctæ duæ oræ, & præstetur juramentum, casu, non voluntate hoc contigisse. Si malè habitum sit pecus, ut boni viri hoc judicare possint; æquè bonum restituat, & ad se recipiat ille qui id ceciderat.

(ſ) *non tamen casu merè fortuito, sed cum aliqua culpa conjuncto.*

XIX. CAP.

Si pecus interimat alterius pecus, aut vulneret.

Si pecus interimat alterius pecus quod non edi possit, velut equum vel equam, & duobus viris legitimè convincatur; dimidium æstimationis restituat, prout quatuor boni viri æsti-

marequeunt. Si interficiatur bos aut vacca, vel aliud animal quod edi possit; quarta pars plenæ æstimationis restituatur, & ille mortuum retineat, qui ante possedit. Si de hac re contentio oriatur, nec adsint oculati testes; purgetur juramento, secundum æstimationem rei. 1. §. Si pecus vulneret pecus, impunè est. Si jumentum operi faciendo utile vulneretur, ita ut colonus eo sub jugo aut fune vel loro (t) uti non possit; istius pecoris damnum facientis possessor illi jumentum funale restituet, & solvet mulctam trium orarum soli colono addicendarum, si adsit duorum virorum testimonium: vel purget se proprio suo juramento.

(t) *Confer c. 28. Upl. LL. h. t.*

XX. CAP.

Si quis conducat equum ab alio, vel commodatò accipiat, vel aliud pecus.

Quicunque conducit equum ab alio, & ille sub conductoris manu corrumpitur, & culpa corruptionis ejus incuriæ, vel negligentiæ, vel dolo imputatur, & duobus testibus convincitur; restituet equum secundum bonorum virorum æstimationem, duorum ab utraque parte, qui ejus rei notitiam habent, & equi æstimationi adjungetur pretium conductionis equi. Si ne sic quidem tali pacto adquiescant; accedent ad Prætorem & Consules, & cui actio corrupti equi in adversarium competit, in mensa coram illis præsentem pecuniam aut pignus deponet, in quantum recognoscit æstimationem (u) equi: & trium marcarum rem purgabit trium virorum juramento. Si sit sex marcarum res vel majoris æstimationis; purgabit sex virorum testimonio. Si insimuletur hujus facti, in defectu testium; duodecim oras addet pretio conductionis, nec plus eo, licet equus melior fuerit: & trium virorum juramentum præstabit, quod equus corrumperetur casu, non ejus negligentiâ aut voluntate. 1. §. Si agat equum in glaciecidium vel foramen congelati fluminis, & perdatur aliquid ex bonis ejus cum equo, vel non, & duorum virorum testimonium accedat; non plus expendet, quàm equi conducti pretium. 2. § Si etiam sic usu veniat, ut equum utendum accipiat, & sub ejus manu deterior reddatur equus, quomodocunque hoc accidere possit; restituet equum, prout inter utrumque convenit, vel boni viri inter eos arbitrari

(u) *Vid. art. 10. 11. 15. 16.* Tafuern. *Ord. de taberna diversoriis. Synops. Iur. Diss. 12. qu. 4.*

trari possunt. Si ne sic quidem inter eos conveniat; deponentur in mensa coram Prætore & consulibus nummi, ut ante dictum est, à domino equi, in quantum bonitatem equi æstimare vult; & postea præstabit juramentum suum, prout ei culpa æstimationis equi impingitur, & quantum in ea deficit. De bove lex eadem erit. Si unus commodatum esse dicat, alter neget; illius assertione stabitur, qui cum duobus viris ipse adseret, commodatum fuisse.

XXI. CAP.

Quomodo conduci famulus aut ancilla debeat.

Si civis conducat famulum aut ancillam, & in id det eis arram, vel illi victu patrisfamilias utantur, & postea ab eo discedant ante conductionis terminum; reddant patrifamilias arram & mercedem conductionis, pro quanta eos conduxit. 1. §. Si paterfamilias eos expellat absque justa causa, & postea ei iterum offerantur cum duorum virorum testimonio, & ille eos recipere nolit; eis tantum pecuniæ det, quantam eis condixit, & postea sint, ubi volunt. 2 §. Si familia conducta in morbum incidat, & opera domestica pro patrefamilias jaceant; deficiat tantum in mercede familiæ, quantum in operibus pro domino. 3. §. Conductionis tempora duo erunt quotannis; unum à Festo Paschatis & ad Festum Michaëlis, & alterum à Festo Michaëlis usque ad Festum Paschatis. Et paterfamilias famulo aut ancillæ significabit menstruo spatio ante tempus conductionis, si eos retinere velit, vel non. Similiter familia indicabit patrifamilias, si ei diutius servire nolit, ut ante dicebatur de conductione domus. 4. §. Omnes viri & fœminæ ad serviendum operam suam locabunt, qui minus tribus marcis mobilium possident. Quicunque eos domo aut hospitio recipit, postquam eis conductionis pecunia oblata est, & illi nolunt eam acceptare; mulctabitur tribus marcis, inter actorem, Regem & civitatem partiendis: & qui nolunt servitium subire, urbe excedent. Si postea redeant in urbem, nec adhuc servire velint; flagellentur & discedant ex urbe, & hæc pœna in illos iteretur, quoties redeunt in urbem & servire nolunt: nisi illis pecunia crescere possit. Si trium marcarum possessor sit, & servire vel operam suam alii locare nolit; cum cive sit in plena contributione. 5. §. Quicunque alterius servum aut ancillam ab illo ad se allicit; mulctetur tribus

mar-

marcis, inter actorem Regem & civitatem dividendis, si à duobus viris convincatur: vel purget se cum tribus viris. eadem lex sit de illo qui se allici patitur (x).

(x) *Vid. c.15.h.t.* ll. *& ibi* Not. *&* Const. *R. de Servit.*

XXII. CAP.

De modo ignem innocentem servandi, & mulcta hoc negligentis.

Nullus hospes diversorium publicum præbens, sive vir, sive fœmina sit, diutius candelam ardentem, vel ignem habebit, vel cerevisiam vendet domi suæ, vel alium potum, postquam signum campana vesperi datum est; nisi duabus oris mulctari velit, Regi & civitati addicendis. Si ex percussione damnum accidat post signũ campana datũ; sit mulcta trium marcarum tripartiendarum, & author damni satisfaciat pro eo. 1. §. Si superveniant vigiles vel civitatis ministri, ubi ignis vel candela est, & petatur recognitionis pignus, quod diutius sedeant, vel ignem habeant, quàm ante dictum est, sed illis dictum pignus negetur; sex oris, Regi & civitati pendendis mulctentur, ad duorum virorum testimonium; vel purgent se trium virorum juramento, quod ignem non habuerint, vel pignus illis denegarint. Si quod damnum inde contingat, vel ante contigerit, & damni authores aufugerint; plenam cautionem capient ab hospitium præbente pro illis tribus marcis: si non possit cautionem præstare; in civitatis custodiam deducetur. Si damnum factum sit ab illis in diversorio; sic agetur cum illis ut in lege determinatur de diversorium præbentibus, & ab his capietur plena cautio pro tribus istis marcis, à damni authore solvendis. Si damnum inferatur vigilibus aut civitatis ministris; dupli mulcta erit. 2. §. Si quis excitet ignem, antequam signum campana datum finitum sit; tres oras pecuniæ solvet Regi & civitati. Si damnum inde oriatur; paterfamilias cum hospite, quisque dimidio mulctabitur, prout ulterius deciditur. Fœminæ, quæ vigilant super coctionem cerevisiæ vel colaturam, impunè vigilabunt: ita tamen, ut si inde damnum contingat, lex sit eadem, ut ante dictum est, & porrò dicetur. 3. §. Si incendium oriatur in quacunque sit urbe, & paterfamilias aut hospes ipse illud exstinguere possit; tribus marcis, Regi & civitati pendendis, mulctabitur. Si id ab hospite oriatur; paterfamilias dimidia parte cum hospite mulctabitur.

tur. Si admoveatur securis aut haustrum igni, vel pulsetur campana, vel clamor audiatur; sex marcarum mulcta erit, etiamsi nullum inde damnum aliis accidat, sed ipsi soli. Si hoc oriatur ab hospitibus; eadem lex erit, ut ante dictum est. Hoc ita intelligendum est, ut quilibet civis sedulò dispiciat, quos hospites in domum suam recipiat. 4. §. Si à dicto igne una, vel duæ, vel plures domus incendio deflagrare possint, vel etiam tota urbs, & hoc dolo fiat, atque author ejus in ipso facto deprehendatur; cum eo agetur, ut decidițur in titulo de Atrocibus delictis. Si ex negligentiâ oriatur; author ejus & damni dati capite plectatur; vel purget se XII. virorum juramento, quod casu, non incuria vel voluntate ejus ortũ fuerit. 5. § Quælibet urbs in quinq; tetrades dividetur, & in qualibet tetrade quotannis tēpore electionis senatorũ, duo capitanei eligentur, Sueci, non extranei, sic ut, qua horâ incendiũ oritur, sex ex illis, & unus vir ex qualibet domo, ad minimũ in istis tribus tetradibus, in quibus illi sex sunt, accurrat cũ securi, haustro, scala & harpagine, ad exstinguendum illum ignẽ, si possint: & populus ille, qui in quatuor partibus urbis habitat, cum duobus suis capitaneis bona incendio in universum subductum & servatum ibunt, & illi primò qui propius ignem habitat. 6. §. Porrò observandum est, quod illi sex prænominati capitanei & eorum populus, ut dictum est, domos, quæ proximè incendium sunt, vel quas optimè contingere possunt, in quantum opus est, demoliri debeant, & quilibet pro viribus suis exstinguere & succurrere teneatur, ne ignis longius serpat. Illam verò domum, quæ diruta est, populus rursus exstruet, præsertim illi quorum ædes servatæ sunt, & talem exstruent, qualis ante demolitionem erat: ita tamen, ut tam de suo conferat, pro quo diruebatur domus, quàm alii, quorum ædes servabantur, & ille plus expendat, qui plus possidet, pro quota, & tam ille contribuet, qui nullam domum in urbe habet, quàm qui habet, & omnes qui cives sunt in urbe. Si quis nolit domum suam destrui; mulctetur XL marcis Regi & civitati pendendis, & nihilominus destruatur, & absque refusione. 7. §. Quicunque ex illis sex non facit officium suum, vel non præsto est tempore orti incendii; XL. marcis mulctetur, ut ante. Si non unus ad minimùm vir ex unaquaque domo adveniat, vel quidam non faciant, quod illi octo eis monstrant, si ex illis ædibus nonnulli in urbe sint; quælibet domus mulctabitur XII. marcis, inter Regem & civitatem partiendis, & in tantum hospes mulctabitur, in quantũ civis. 8. §. Quilibet propriam domum habens, hæc instrumenta habebit: septem ulnas lon-

gam ſcalam XII. ulnas longum uncum, unam ſecurim, unum hauſtrum, & unam tunnam aquæ ante ædes ſtantem. Porrò notandum eſt, quod Prætor, Conſules, Senatus, & ex octo illis ante dictis quatuor quotannis circuibunt urbem, & videbunt, ut ſi quis modò dicta inſtrumenta non habeat, mulctetur tribus marcis, Regi & Civitati pendendis, & deinde quoties ipſi dies dicitur, nec ille eum ſervat. 9. §. Quisquis tunnam aquâ plenam ante civis domum evertit ex propoſito, noctu vel interdiu, & convincitur cum duobus viris; mulctetur XII. marcis, inter actorem, Regem & civitatem dividendis. Si non adſint teſtes, & tamen inſimuletur hujus facti; purget ſe ſex virorum juramento, quod non fuerit ejus factum (g). 10. § Quævis Civitas habebit ſeorſim quatuor majores harpagines, ſecundum veterem & priorem conſuetudinem. 11. §. Quicunque vir, paterfamilias aut hoſpes, ignem habet in illicitis ædibus, vel quæ tam humiles ſunt, vel non tam capaces, ligni vel alterius rei cauſa; mulctetur tribus marcis, inter Regem & Civitatem dividendis.

(g) *Confer Ordinat. de Incend. A. 1661. editam.*

XXXIII. CAP.

Quomodo ſeptentrionalis pons prope urbem exſtruendus ſit, & reliqui duo, qui ibidem ſunt.

Septem emporia ſunt quæ ſeptentrionalem pontem prope urbem Holmiam exſtruere debent, quoties opus eſt. 1. § Stocholmiæ cives ſtructuram ſuam in terra prope urbem inchoabunt & ſuper flumen minus, partem ejus, & dimidium pontis ſublicii vel fulcimenti verſus meridiem proximè urbem. Arhoſia & Arboga eundem pontem ſublicium pro dimidia parte, velut partem ſeptentrionalem, & dimidiam partem ipſius pontis principalis exſtruent verſus Upſaliam, Enecopiam, Sigtunam & Strengneſiam, ubi ſuccedent in exſtruendo ruſtici. Upſalia & Enecopia exſtruent dimidiam ſuam partem, Sigtuna & Strengneſia dimidiam ſuam partem ejuſdem pontis. 2. §. Quæcunque urbs non exſtruit eundem pontem, ad indicium Prætoris Stocholmenſis, & ad præfinitum diem; mulctetur XL. marcis, inter Regem & Civitatem dividendis. De reliquis duobus pontibus Stocholmenſibus, velut altero ponte ſeptentrionali & meridionali, eadem lex erit (h).

(h) *Hodie iſtos ſumptus ex publico Civitas ipſa facit.*

TITU-

TITULUS VI.

DE JURE MERCANDI.

1. *Quomodo mobilium, pecoris aut pannorum emptio constituenda sit.*
2. *Si aurum vel argentum ematur.*
3. *Si quis emat ceram, salem vel aromata, vel quodcunque sit.*
4. *Si quis emat in foro.*
5. *De Deposito.*
6. *De Pignoratione.*
7. *Quomodo pignus publicè sit denunciandum.*
8. *Si quis caveat pro alterius pecunia, vel causa ejus, vel ut ad respondendum in judicium veniat.*
9. *Si quis commodatò quid accipiat ab alio, quomodo ad illud testes habere debeat.*
10. *De pignoratione, quomodo cum eâ agendum sit.*
11. *Si quis pignori obliget alii rem sibi oppignoratam.*
12. *Quomodo pignus redimendum sit.*
13. *Quibus probationibus pignus vendendum vel redimendum sit.*
14. *Quomodo cives & eorum ministri debeant mercari. & de propolio. & quicunque duobus rem eandem vendit.*
15. *Si quis emat in navi vel scapha.*
16. *Quid liceat in navi emere vel vendere.*
17. *In quo loco urbis contractus emptionis sit instituendus.*
18. *Quomodo lanii emere & vendere debeant.*
19. *De omnis generis opificibus, laniis, pellionibus, sutoribus, sartoribus & quibuscunque aliis in urbe, quomodo eorum opificia constituenda sint. Et de mulcta eorum qui non faciunt, quod à Prætore & senatu jussi sunt facere.*
20. *Quomodo Nundinæ sint habendæ Arbusiæ, Upsaliæ & in aliis Nundinarum locis. Et quomodo Stocholmenses post Nundinas cum illis, & alii ex provinciis in urbes dictas venientes cum illis mercaturam facere debeant; & quomodo ex dictis urbibus Stocholmiam venientes cum civibus istic commercari debeant.*
21. *De ferri ponderatione, & alia mercatura Holmiæ, Arbosiæ & in aliis emporiis, quomodo comparata esse debeat.*
22. *De Nundinis in Helsingia, & ubi nundinæ in provinciis haberi debeant.*
23. *De hominibus, qui in provinciis mercantur; velut Nobilium & Sacerdotum ministris ac agricolis, & aliis hujusmodi; & de provincialibus qui ali-*

I. CAP.

Quomodo mobilium, pecoris, aut pannorum emptio constituenda sit.

OMne quod quis emit, pecus ungularum solidarum & bisulcarum, equum, equam, aurum vel argentum, vel sectum pannum, vel quodcunque tale sit; hoc cum duorum virorum testimonio fiet, & eadem modo vendetur, & arra firmabitur, nullusque habebit potestatem renunciandi aut rescindendi illum contractum. Qui aliter emit, quàm ut interveniat arra (*a*); revocabile sit, etiamsi testes interfuerint emptioni.

(*a*) *Hodiè moribus nostris emptio etiam absque arrâ fieri solet, modò Syngrapha à testibus subscripta in magni pretii re venditâ intervenerit. arra tamen est argumentum emptionis non revocandæ. Vid. Synops. Iur. Diss. 14. qu. 17.*

II. CAP.

Si aurum vel argentum ematur.

Si

Si quis aurum vel argentum emat ab alio quàm aurifice ipſo, & deprehendat in eo vitioſum eſſe; recipiat ille qui vendidit, & purget ſe ſex virorum juramento, quod neſciverit dolum ſubeſſe. Si deficiat in juramento; mulctetur XL. marcis tripartiendis. Si neget ſe hoc vendidiſſe; neget cum duodecim virorum juramento, ſi non adſint teſtes. Si deficiat in juramento; reſtituat pretium, & ſolvat mulctam ante dictam: quam ſi ſolvere nequeat; damnetur ad laborem, primò pro actore, deinde pro Rege & civitate. 1. §. Si aurifex falſum vendat, ſive ſit in auro ſive argento, ita ut non ſit purum; recipiat illud, & mulctetur XL. marcis, ut ante dictum eſt: ſi mulctam præſtare nequeat; damnetur ad laborem, & recipiat pecuniam qui eam expendit. Si aurifex inficietur, & nolit recipere vitioſum quod vendidit, poſſit autem duobus viris convinci, quod tale quid vendiderit; mulctetur, ut antea dictum eſt. 2. §. Si aurifabro aurum vel argentum in manus tradatur, ut inde quid faciat; hoc purum tradetur cum ſex viris. Si poſtea auri vel argenti poſſeſſor neget tam purum eſſe ſibi reſtitutum, quàm tradiderat; ſtabit hoc ſex virorum teſtimonio qui aderant, quum traderetur: ſi defendant aurificem; ſit defenſus, & accipiat mercedem ſuam: ſi damnent eum; de eo fiat, quod de aliis furibus aut furtis.

Confer Not. ad cap. 2. h. tit. ll.

III. CAP.

Si quis emat ceram, ſalem, vel aromata, vel quodcunque ſit.

Si quis emat ceram, ſalem, aromata, butyrum, adipem, ſevum, vel lupulum, ubicunque deprehenditur vitioſum in empto aut vendito, ſignificetur hoc Prætori & Senatui, & illi nominent XII. viros qui teſtentur quid vitioſum aut falſum ſit, vel non *(b)*. Si defendant venditorem; defenſus ſit. Si damnent; mulctetur XL. marcis tripartiendis. Si non poſſit ſolvere mulctam; damnetur ad laborem, ut ante dictum eſt. Sic ubique mulctabitur, ubi vitioſum aut mixtum deprehenditur in re empta: illud autem ſive cera, ſive lupulus, aut aliud ſit, exuretur, & qui emit, recipiet pecuniam ſuam. 1. §. Nemini licebit cum patrisfamilias liberis aut familia *(c)* contractum emptionis inire abſque patrisfamilias notitia

(*b*) *Confer quoque Regium Diploma de mercatu equorum art. 4. & c. 2. §. 1. cap. 5. §. 4. 5. h t. UL. c. 3. eod. HL.*

(*c*) *c. 4. h. t. UL. Diss. 14. qu. 1.*

& consensu; nisi rebus vendendis præponantur. Qui cum illis contrahit; mulctetur tribus marcis tripartiendis. 2. § Qui vitiat quascunque merces & in eo deprehendatur; cum eo agetur, ut cum alio fure. Omnes merces vendentur pro qualitate sua, & singulæ seorsum; vel mulctabitur sex marcis, qui aliter facit, si testes adsint: nisi aliter reperiatur.

IV. CAP.

Si quis emat in foro.

Si quis emat in foro rem, sive mortuam sive vivam, & de ea controversia oriatur, nemoque sciat authorem suum, cui primò controversia mota sit; tunc ille sibi adjuret qui nunc de eo contendit, cum duorum virorum testimonio: & alter probet se in foro publico emisse per duos cives, & purget se à suspicione rei furtivæ: & postea ille suum recipiat, qui de eo contendebat, absque redemptione (*d*). 1. § Si quis emat equam aut vaccam, vel quidquid sit pecoris, ex quo quid gignitur, & postmodo de eo contentio fiat; tunc ejus erit, quod ex animalibus illis natum est (*e*), qui hæc enutrivit: Nemo enim sibi vendicare potest, quod alteri nascendo adquiritur. Et ille suum recipiat, qui id rectè recognovit.

(*d*) *c. 23. Tiuf. (de furto) ll.*
(*e*) *vid. Notas ad c. 5. h. t. ll.*

V. CAP.

De Deposito.

Si quis deponat pecuniam vel aliam rem apud alium; id fiet cum duorum virorum testimonio, & eandem rem recipiet iisdem testibus. Si non ita præsentes sint testes, & ille qui deposuit, dicat se plus deposuisse, quàm recuperasse (*f*); depositarius facultatem probandi habebit cum tot virorum juramento, quot bona sunt, quod ea bonâ fide restituerit. 1. §. Si depositum furto auferatur, comburatur, vel vi rapiatur: si utriusque, tam depositarii quàm deponentis bona dicto modo deperdantur ut consequantur; impunè sit: si non utraque subsequantur; deperdita restituantur.

(*f*) *Synops. Jur. Diss. 13. qu. 3.*

VI. CAP.

De pignoratione.

Si

Si quis rem ſuam alii pignori obligare velit, ſive plus ſive minus mobilium ſit, hoc faciet cum duorum virorum teſtimonio. Si fortè pignus incendio perire poſſit, antequam terminus vel dies poſiti pignoris finitus ſit, atque utriusque creditoris & debitoris res combuſtæ fuerint; nihil refundatur. 1. §. Si furto * vel rapinâ auferri poſſit; prætori & ſenatoribus hoc indicabitur, & deinde à Sacerdote publicè denunciabitur utriusque res. Si non utriusq; res ablata ſit; domino ſuum pignus reſtituatur. Simul ac tempus obligati pignoris exſpiravit, ejus cura circa illud verſetur, qui poſtea illud poſſidet.

* *Vid. Synops. Iur. Diss. 19 qu. 11.*

VII. *CAP.*

Quomodo pignus publicè denunciandum ſit.

Si tempus obligati pignoris exſpirarit, nec dominus illud redimat; creditor id publicè denunciari curabit in curia ternis diebus. Si debitor tunc redimere velit; ei ſit poteſtas: ſi nolit; pignus æſtimari debet. Si pignus ſit melius debito; poſſeſſor ejus refundat debitori quanto melius eſt aut majoris pretii. Si pignus minus ſit debito; debitor illud ſuppleat, & offeratur conſanguineis, ſi quod jus in eo habeant (g).

(g) *Nimirum jus hæreditatis. arg c. 1. Jord. St. §. 1.*

VIII. *CAP.*

Si quis caveat pro alterius pecunia, vel cauſa ejus.

Si quis caveat pro alterius pecunia; ſolvat illud pro quo cavit, vel ſe purget, pro ratione debitæ pecuniæ, virorum juramento, quod nunquam pro illa pecunia caverit, ſi non adſint teſtes. Si deficiat in juramento, ſolvat illud pro quo fidejuſſit, ſive illud plus ſive minus ſit: & mulctetur tribus marcis, inter actorem, Regem & civitatem partiendis. Si verò diſcrepent, unus dicat pro majori, alter dicat pro minori ſumma fidejuſſum eſſe; ſtet hoc illorum teſtimonio qui interfuerunt conſtitutæ fidejuſſioni. In horum defectu, collocet coram Prætore tantum pecuniæ vel pignoris, quantum agnoſcit, & defendat tres marcas trium virorum juramento. Si minus ſit tribus marcis; defendat proprio ſuo juramento. Si ſit ſex

marca-

marcarum, vel plus eo, defendat sex virorum juramento, in defectu testium de cautione pro pecunia. 1. §. Si quis caveat pro causâ alterius, & ille aufugiat pro quo cautum est; satisfaciat fidejussor, sive principalis debitor adsit, sive absit. Si ita caveat, ut vir judicio sistatur; eum judicio sisti curet, & solutus sit. Si non sistatur, pro eo fidejussor teneatur.

Confer c. 20. Rädst. de Iudicio Cur.

IX. CAP.

Si quis commodatò quid accipiat ab alio, quomodo ad illud testes habere debeat.

Quicunque quid commodatò accipit ab alio; duos testes adhibebit: & similiter, quando commodatum restituit. Si hoc fiat absque testibus, & exigatur ab eo, quod se debere non agnoscit; defendat se exigens testibus, ut prius deciditur.

c. 11. KB. OL.

X. CAP.

De pignoratione quomodo cum ea agendum sit.

Quicunque pignus accipit ab alio, illud publicè denunciari faciet tribus diebus curialibus; nisi sit aurum aut fundus. Si sit rei mobilis pignus; postea per octo dies stabit inemptum. Domus, fundus, & aurum publicè denunciabuntur tribus diebus Lunæ, & postea inempta stabunt per quatuordecim dies. Si nec tunc quidem redimantur; possessor eorum potestatem habeat istæc retinendi vel vendendi, secundum bonorum virorum, duorum utrinque, æstimationem.

Confer tit. D. & Cod. de distr. pign.

XI. CAP.

Si quis pignori obliget alii rem sibi oppignoratam.

Si quis illud pignus alii obligare velit, quod ipsi obligatum erat (*b*); obliget pro tanta pecunia, pro quanta ipsi positum erat, & id prius domino pignoris notificet, ut & illi cui obligatum erat, cum duobus viris, & redimat, si velit, & jus suum quærat apud

(*b*) *confer tit. cod. Si pignus pignori datum sit. & Diss. 19. h. tit. th. 13.*

apud dominum pignoris. Si pignus minoris æſtimetur, jure ipſi dicto, jus ſuum quærat apud oppignorantem. Si pignus alteri obliget pro majori ſumma quàm ipſi obligatum eſt, mulctetur tribus marcis tripartiendis. Si mulctam præſtare nequeat, pro ea laboret, ut ante dictum eſt. 1. §. Nemini licebit alterius pignori uti (i), vel alii utendum dare, ſub mulcta trium marcarum, & refuſione damni.

(i) *eſt ſpecies furti §.6.Inſt.de oblig.ex del. l.14.D.de furt.Excipe c.7.* Jord.ʒʒ *in fine.*

XII. CAP.

Quomodo pignus redimendum ſit.

Si quis pignus ſuum redimere velit, & poſſeſſor ejus plus exigat, quàm pro quo pignus ſtabat; tunc coram Prætore & ſenatoribus tantum pecuniæ collocet, quantum cognoſcit deberi creditori pro redimendo pignore, & hoc juramento confirmet pro ratione culpæ ſibi imputatæ; niſi teſtes adfuerint (k).

(k) *cap. ſeq. vid.*

XIII. CAP.

Quibus probationibus pignus vendendum vel redimendum ſit.

Omnia pignora vel vendenda vel redimenda ſunt, duobus teſtibus adhibitis (l).

(l) *in majorem rei fidem. ſup. c. 6. h.t.*

XIV. CAP.

Quomodo cives & eorum miniſtri debeant mercari: & de propolio: & quicunque duobus rem eandem vendit.

Quo tempore cives vel eorum miniſtri mercantur, nemo in fraudem alterius propolium exercere, vel alterius emptioni ſe immiſcere debet: Sed quilibet emat ubi occaſio fert, & jure poteſt. Qui ſecus facit, quàm modò dictum eſt, mulctetur tribus marcis, inter actorem, Regem & Civitatem partiendis: & is potior ſit jure emendi, qui prior fuit tempore [m], ſi duorum virorum teſtimonia adſint: vel defendat ſe duorum virorum juramento, ipſe tertius. De mercatura cum peregrinis, lex eadem eſto. 1.§. Qui

(m) *Vid. Synopſ. Iur. Diſſ. 15. qu. 8.*

duobus rem unam vendit, tribus marcis tripartiendis mulctetur, ut prius dictum: & qui prius emit, emptum retineat. 2. §. Illis civiū ministris, qui proprium suum, & quod in societatem vel commercium conferre possint, habent ad XL. nimirum marcas, emere & vendere licet, ut aliis civibus, secundum veterem consuetudinem. 3. §. Illis civium ministris, qui proprium suum, & quod in commercium conferre possint, habent ad XX. marcas, licet emere pelles caprinas, crudas & siccas, unam, duas tres, & dimidium decadis, non totam decadem; pelles sciurorum & martum, unam, duam, tres, vel decem, non viginti. De adipe, butyro & lardo eadem lex sit. 4. §. Aliis, qui minus XL. vel XX. marcis possident, talia emere non licet: martum tamen pelles, sciurorum & mustelarum pelles, & alias hujusmodi licebit illis emere certo numero, unam, duas, tres, ex occasione, non autem decem aut viginti; exceptis leporum aut felium pellibus, item pellibus agninis & hædinis. Butyrum & sebum, & alia hujusmodi non licet illis emere, nisi juxta libram vel bilancem, dimidiam aut totam, non trutinam majorem, totam aut dimidiam, non supra decadem, aut vicenarium numerum. 5. §. Si quis aliter emat quàm nunc dictum est, & convincatur duorum virorum testimonio; sex marcis mulctetur & jactura rei emptæ, Regi & civitati addicendæ. Si non possit solvere mulctam; damnetur ad laborandum pro Rege & civitate, & illi redimant jus actoris (n).

(n) *confer c. 14. K B. St. in fin.*

XV. CAP.

Si quis emat in navi vel scapha.

Quicunque emit aliquid in scapha, & convincitur duobus viris, tribus oris mulctetur, & privatione rei emptæ, Regi & civitati addicendæ; vel purget se cum trium virorum juramento: & qui vendit, similiter mulctetur; vel purget se proprio suo juramento, quod legem istam ignoraverit. 1. §. Pisces vivi & mortui vendi & emi debent in foro publico, vel mulctæ prius dictæ locus erit. 2. §. Armenta sive juvenilia sive senilia, qualiacunque sint, & alia venalia in urbem adducta, in publico foro ementur & vendentur: qui aliter emit, mulctâ trium marcarum tripartienda plectetur, & res empta confiscabitur à Rege & civitate, si duobus testibus convincatur: si non, purget se cum trium virorum juramento. Si

Si damnetur ad mulctam,nec eam solvere possit; laboret Regi & civitati,actoris jus redimentibus : & qui vendit similiter mulctetur, vel proprio suo juramento se purget, ut ante dictum est. 3. §. Quicunque emit aliquid in navi; mulctetur quoque tribus marcis, cum confiscatione rei emptæ, si duorum virorum testimonium adsit; vel purget se cum trina manu. Lex eadem erit de vendente; qui tamen pretium pro re vendita retinebit; nisi antea in eo deprehensus, & legem transgressus sit. Et hoc observandum est de mercatura inter indigenas, velut Helsingos, & alios hujusmodi, velut agricolas & qui superius ex emporiis adveniunt. Si Helsingi vel alii qui ex emporiis accedunt, velint res suas venales vendere in urbe & in publica tabernâ, hoc ipsis licebit (*m*).

(*m*) *Confer art. 15. Const. Reg. de commerc.*

XVI. CAP.

Quid liceat in navi emere vel vendere.

Has merces licet in navi impunè emere & vendere: frumentum, calcem, harengos, galeum, cuprum & ferrum vasis inclusa, nec alias res venales; sed pro illis mulctæ locus erit, ut ante dictum est. Rusticis tamen licebit siliginem in navi vendere.

XVII. CAP.

In quo loco urbis contractus emptionis sit instituendus.

Nemini licet emere vel vendere, vel quemcunque mercaturam facere in suburbiis, septentrionali vel australi, sed in urbe inter pontem septentrionalem vel australem; sed emens aut vendens mulctentur sex marcis tripartiendis, & confiscatione rei emptæ ac venditæ, si duorum virorum testimonia exstent; vel purgent se, ut ante dictum est. Lateres & calcem impunè licet emere in utroque suburbio.

XVIII. CAP.

Quomodo lanii emere & vendere debeant.

Carnariis licet inter Pascha & Pentecosten ruri impunè emere, quod ad eorum mercatum pertinet, ut pecora cujuscunque

generis. Qui diutius, vel alio tempore quid emit, vel aliud, quàm quod modò dictum est, emit; mulctetur sex marcis tripartiendis, & confiscatione rei emptæ, si convictus sit duorum testimonio; vel purget se cum senâ manu. Si deficiat in juramento, nec mulctam solvere possit; de eo fiat, quod prius dictum est. (n).

(n) *Vid. Ordinat. de Carnariis, Köttmånglare Ordn.*

XIX. CAP.

De opificibus, & quomodo eorum opificia sint constituenda quotannis.

Prætor, Consules & Senatus quotannis uno tempore singulorum mensium, in qualibet urbe, opificum, ut sartorum & sutorum & cujuscunque generis, curam habebunt, eosque constituent pro ratione & qualitate temporis, ita ut vendentes ac ementes æqualia pro æqualibus accipiant. Si quis pro alio pretio vendat, quàm quod illi constituerunt; qualibet vice mulctetur tribus marcis tripartiendis, & confiscatione rei venditæ. 1. §. Si carnarii vendant corruptam carnem, vel aliam pro alia, convicti duobus testibus; sex marcis (o) tripartiendus mulctentur, & Prætor ac Senatores faciant de ea carne quod velint: in defectu testium, purgent se cum sena manu. 2. §. Si quis vitiet sua opera, & vendat aliud pro alio, vel aliud falsum in suis operibus committat; sex marcis mulctabitur, & Regius prætor ac senatores facient de vitioso quod velint: qui non potest solvere mulctam, pro ea laboret, ut prius dictum est.

(o) *Hodiè* XL. *marcarum mulcta est. art. 7. 8. Ordinat. de Carnariis.*

XX. CAP.

Quomodo Nundinæ in emporiis habendæ sint.

Quotidie tempore Nundinarum in emporiis habendarum, velut Arhosiæ, Upsaliæ, vel in quacunque urbe, nemo mercabitur die Dominico (p) sed alio & sequenti die, & reliquis omnibus diebus licebit emere & vendere, ut decet. Duobus diebus totis licebit mercari, & tertii diei vespera, quando veniunt in urbem. 1. § Porrò animadvertendum est, ut, quo anni tempore, extra Nundinas, Stocholmenses cives adveniunt in antedictas urbes commerciorum suorum causa; cum illis & eorum civibus ac hospiti-

hospitibus mercentur ex antiqua consuetudine, & secundum quorumlibet mercatorum, vel emporiorum privilegia. Similiter qui ex superioribus emporiis, & extra orti sunt, mercentur cum civibus Stocholmensibus, urbis incolis & hospitibus, sub mulcta XL. marcarum utrimque, & singulorum secus mercantium, Regi & Civitati addicenda, sic ut inde actori XII. marcæ dentur. In nulla navi vel suburbio mercabuntur, sed ut in codice Legum scriptum est.

(p) *Hodie est mulcta XL. dalerorum bonæ monetæ, art. 14. R. Interdict. de violat. Sabbat.*

XXI. C*AP.*

De ferri ponderatione, & alia mercatura Holmiæ, Arhosiæ, & in aliis emporiis, quomodo comparata esse debeat.

Omne ferrum & aliæ merces, veluti butyrum, cuprum, lardum & alia hujusmodi, quæ emuntur Arhosiæ & in aliis emporiis, sive superioribus sive exterioribus, ibi ponderabuntur (*q*) antequam evehantur. Si quis emat ferrum aut butyrum in vasa compactum, & per hyemem in loco ubi emit relinquat; hoc signabitur civitatis signo, quando signatum est, nec ultra sollicitabitur de alia ponderatione, quando avehendum est. 1. §. Si sit ferrum, cuprum, butyrum, vel quicquid sit, quod ex dictis urbibus Holmiam vehitur, & ibi exoneratur ac venditur, ibidem ponderabitur. 2. §. Si qui ex ante nominatis emporiis mittant in Germaniam navim suam, ferro aut aliis hujusmodi oneratam; capiant Civitatis literas & testificationem ad hoc, quod sit pleni ac justi ponderis, & liberi sint Holmiæ ab alia ponderatione: nisi ibi exoneretur & vendatur, ut ante dictum est. 3. §. Omnes merces in exteras terras evehendæ, veluti ferrum, cuprum, lardum & butyrum, vel aliud hujusmodi, omne prius ponderabitur, quàm evehatur: qui secus facit, ejus omne non ponderatum in commissum cadit, si duo testes hoc probare possint. Et omne ferrum, quod Stocholmiam avehitur, nec pleni ac justi ponderis est, Regi & civitati confiscatur. 4. §. Quivis vietor signum habebit, quo tunnas suas, phocæ & ferri vasa, & alia hujusmodi jam facta signet: ita ut si in illis falsum deprehendatur, aut non tam rectum, quàm decet, sive orca vel tunna, sive aliud hujusmodi sit, de eo fiet, quod de alio falso, in titulo de jure Regio (*r*).

(q) *art. 48. Montati. Coll. Mandato Holm. de A. 1637.*
(r) *c. 16. 4. 5. & 7.*

XXII. CAP.

De Nundinis in Helſingia, & ubi nundinæ in provinciis haberi debeant.

Nemo in Helſingia, Dalia, Iemptia, vel ubicunque ſit in provinciis, ullas nundinas habebit, vel ullam mercaturam exercebit, antequam (s) cenſus Regi debitus ſolutus ſit. Poſtea permittitur omnibus qui iſtic in provinciis verſantur mercari in nundinis, ubi debent haberi: qui aliter facit, cum eo agatur, ut poſt hæc deciditur.

(s) *Cenſus regius ante Nundinas ſolvendus, priusquam inde decedat populus.*

XXIII. CAP.

De hominibus qui in provinciis mercantur, velut de Nobilium & Sacerdotum miniſtris, ac agricolis, & aliis hujusmodi, & de provincialibus qui aliquam in urbe mercaturam faciunt, & ibi iterũ vendunt empta.

Quemcunque virum Regius Prætor aut officialis deprehendit regionatim mercari, velut Nobilium miniſtrum, Sacerdotum miniſtrum, vel alios viros; auferat ipſis emptum aut venditum, & illi mulctentur XL. marcis, legitimè convicti, lege provinciali: XL. marcæ ſoli Regi addicentur, ut & empta aut vendita. 1. §. Si quis horum ante dictorum in urbe deprehendatur, & duobus viris convincatur; lex eadem erit, & dimidium capiet Rex, dimidium Civitas, ut & empta ac vendita. Omnis enim mercatura in urbe fiet inter provinciales & mercatores, & ibi ement ac vendent, non in provinciis vel alibi. 2. §. Nulli provinciali vel colono licet quidquam emere in urbe, pecora aut quicquid ſit, ita ut illud iterum in urbe vendat ac diſtrahat, ſub mulcta ante dicta. Qui non poteſt ſolvere mulctam; pro ea laboret ut decet (t).

(t) *art. 16. ordinat. de commerc. art. 22. Privil. Nobil.*

XXIV. CAP.

De detrimento alii facto in mercando aut bonis ejus.

Quis-

Quisquis alii damnum infert in bonis suis,& quidem studio, ita ut unus inferius, alter superius ædificet,& ejus bona,qui inferior est, sive sit sal, sive pannus, corrumpantur ab eo qui superius ædificat, & duorum virorum testimonia adsint, quod ei hoc damnum,vel tantum damnum fecerit; resarciat ei omne damnum (x). Si neget se ei damnum intulisse, & deficiant testes, vel in ipso actu non sit deprehensus; purget se secundum facti qualitatem. Si deficiat in juramento purgationis; damnetur ad factum. Si damnum resarcire nequeat; penset labore suo actori culpam ipsi impingenti. 1 §. Si casu hoc factum sit, non proposito; refundat ipsi quartam partem damni, & plenum juramentum præstet pro qualitate culpæ. Si deficiat in juramento; damnetur ad factum. Si non possit solvere mulctam; pro ea laboret. De damno quod alteri infertur in navi vel alibi, lex eadem erit.

(x) *c. 9. Bygn. (de jur. ædif.)* ll.

XXV. CAP.

Si quis vinum vendat absque Prætoris & Consulum veniâ, vel charius vendat, quàm constitutum erat.

Quisquis vinum venale habet cum œnophoris, vel dolium aperit absque Prætoris & Senatorum notitiâ aut veniâ; mulctetur tribus marcis tripartiendis (y),& confiscetur ejus dolium, Regi & civitati addicendum. 1. §. Si vendat charius, quàm constitutum erat; eadem culpa & mulcta erit.

(y) *Const. de Caupon. A. 1651. & Tapperian. Accis. A. 1658.*

XXVI. CAP.

Quomodo vinum, aqua mulsa, aut alii potus vendendi sint.

Quisquis cujuscunque generis vinum, aquam mulsam, vel alios potus cum mensuris aut œnophoris venales habet; hoc indicet prætori & consulibus, sub mulcta ante dicta hos vendentis. Et constituatur istis potibus pretium, Prætore præsente, vel ejus mandatario (z).

(z) *Hodiè inspectore,*

XXVII.

XXVII. *CAP.*

Quomodo mensuræ vini, aquæ mulsæ, & aliorum exoticorum potuum debeant esse formatæ, & ubi debeant esse.

Omnes mensuræ vini, aquæ mulsæ, Travensis cerevisiæ & aliorum potuum, prius signabuntur *(a)*, quàm iis mensurentur potus aut vendantur: & ab illis qui ad hoc constituti sunt ut signent, caupones capient duas vel tres mensuras signatas, quot indigent. Nullus mensuret liquores aut potus suos, vinum vel aquam mulsam, vel quicquid sit, urceis vel aliis mensuris, nisi rectæ sint & conformes signatis mensuris. Si quis aliter faciat, & in recenti facto deprehendatur, eoque unius marcæ damnum faciat; cum eo agetur, ut cum aliis falsariis. Si convincatur; ea pœna locum habeat, quæ irrogatur in titulo de Rege, de alio falso. Si minus damnum eo faciat; id statuatur, quod de alio furto *(b)*.

(a) *civitatis signo: ut pro justis ac veris mensuris habeantur. vid. Mand. R. de mensur. & ponder.*

(b) c. 17. RB. St.

XXVIII. *CAP.*

De mulcta falsis mensuris utentium in vino, aqua mulsa & alio exotico potu.

Quisquis falsâ utitur mensura; mulctetur tribus marcis tripartiendis. Pro falsa mensura in aqua mulsa; unâ marcâ tripartiendâ mulctetur. Pro falsa mensura in Travensi cervisia; mulctetur sex oris tripartiendis: pro falsa mensura in cerevisia Suetica; mulctetur tribus oris *(c)*.

(c) *Falsæ mensuræ mulcta 400. marcarum. art. 6. de Caup.*

XXIX. *CAP.*

Quomodo vinum, aqua mulsa & Travensis cerevisia doliis & tunnis mensurandæ ac vendendæ sint.

Quisquis ante dictos liquores & potus vendere doliis & tunnis cupit; implebit eis tunnas usque ad epistomium vel obturaculum, & in Sueticis tunnis mensurabit. Qui aliter vendit, & convincitur duobus viris; sex marcis mulctetur, & confiscetur ven-

venditum Regi & civitati. 1. §. Cantharus Gothlandicæ cerevisiæ vendetur pro duobus nummis. Cerevisia Travensis pro tribus nummis. Posevalcensis cerevisia pro quatuor oris. Vinum & aqua mulsa pro ratione bonitatis ejus, nec charius (*d*). Nemo Travensem cerevisiam & hujusmodi potus cantharis mensurabit, nisi ipse civis. 2. §. Quicunque vinum & omnis generis potus non promit ac vendit eodem die quo constitutum est; ejus dolium & tunna & potus constitutus in commissum cadunt, cum sex marcarum mulcta pro inobedientia. Et ex illis nullam tunnam ipsi vendere licet, nisi in curia indicaverit cum constitueretur, tantum constitutum esse: & hoc firmabit juramento suo. Qui secus facit, mulctetur, ut ante dictum est.

(*d*) *Mulcta hodiè* XL. *marcarum vendentium supra taxam art.7.de caupon.*

XXX. CAP.

Quo tempore peregrinis accessus in urbes pateat, & quomodo jus ibi quærere debeant.

Cum primis navibus omnibus peregrinis in urbes & provincias venire licet, sic ut ibi subsistant & mercentur, velut in Legum codice dicitur. 1. §. Nemini peregrino licet regionatim mercari & debitum exigere, sub mulcta XL. marcarum tripartiendarum (ex quibus actori sex marcæ dabuntur) cum confiscatione rei emptæ aut venditæ, si duobus viris convincatur (*e*). 2. §. Unus ex Regiis Senatoribus in urbem veniet bis in anno tempore Pentecostes & S. Jacobi, ut omnibus peregrinis & hospitibus jus dicat intra quatuordecim dies, à tempore primæ sessionis. Et unus ex Archiepiscopi Capitulo dicto Senatori adjungetur ad jus omnibus tribuendum, si ab aliis jus illis non dicatur. Et ita quilibet Episcopatus faciat †.

(*e*) *art.* 15. *Const. R. de commerc. Diss.* 14. *qu.* 15.

† *hoc hodiè abrogatum est.*

XXXI. CAP.

De omnibus mercibus in urbem advectis, quatenus eæ avehi possint.

Omnes merces, velut panni & alia hujusmodi, quæ hospites & cives in urbem invehunt, impunè avehere illis licet, si non possint ea vendere. 1. §. Si quis ad victum & potum spectantia avehere velit; hoc ei non licebit absque Prætoris & Senatorum venia, sub mulcta XL. marcarum, inter Regem & civitatem partiendis. Inde actori decem marcæ dabuntur. Prætor enim & Senatus urbis cognoscent & dispicient, num hoc fieri possit absque populi detrimento vel non (f).

(f) *Præsertim in annonæ charitate.*

XXXII. CAP.

Quomodo peregrini & cives præmonere debeant omnes emptores de pannis vendendis & omnibus aliis mercibus huc transvectis.

Si hospites & cives invehant pannum in urbes ac regiones Suetiæ; justæ bonitatis ac longitudinis ille erit, ut oportet, & ex veteri more: & qui venalem habet, præmonebit vel præcavebit eo nomine venditori. Si quis deprehendatur alium pannum venalem exponere, qualiscunque pannus sit; detrahat de pecunia, prout panni minores & curtiores sunt, quàm debent esse, vel confiscentur Regi & civitati cum mulcta XL. marcarum tripartiendarum. Et quando quis pannum emit, eum curabit probari (num justam longitudinem habeat, nec contrahatur, quando aquâ tingitur) vel habeat, velut emit. 1. §. Eadem lex erit de omnibus aliis in urbem advectis, sale & aromatibus & quibuscunque aliis: Nisi in illis deprehendatur occultatum falsum aut vitiosum; tunc pro eo mulctabitur, ut dictum est, & merces comburentur. Qui dicto modo mercatur (g), sive in pannis sive aliis; mulctetur XL. marcis Regi & civitati, si duobus testibus convincatur: in defectu testium, sive emens, sive vendens ejus rei insimulatus, purget se sex virorum juramento; in quo si deficiat, de eo lex ante dicta sit. Eadem lex erit omnibus aliis emporiis, ubi tale quid venditur aut emitur.

(g) *Vid. Synops. Jur. Diss. 15. qu. 10. Diploma Holm. de A. 1638. & 1641.*

XXXIII.

XXXIII. CAP.

Ubi hoſpites mercaturam ſuam facere, & quomodo vendere debeant.

Quando Prætor, vel ejus mandatarius in navibus emit & ſumpſit, quod ipſi placet, prout determinatur in titulo de jure Nautico; peregrini ac hoſpites, undecunque etiam venerint, merces ſuas domui pannariæ (*h*), nec alii loco, inferent: velut pannus, linteum, omnis generis aromata, ſmegma, ærugo, & alia hujusmodi eſſe poſſunt, & omnia portatilia, & hæc ſcribi & annotari curabunt, antequam de his quidquam vendatur: quod ſi negligant; mulctabuntur XL. marcis, Regi & civitati. Si quid occultent, & in eo deprehendantur; occultatum in commiſſum cadet, & mulcta erit XL. marcarum, ut ante dictum eſt. 1. §. Omne vinum quod advehunt, in civitatis cellâ vinaria vendetur (*i*), & ei inferetur ac ſcribetur, nec alibi. Ex antedictis, ut panno, vino & aliis, conductionis merces dabitur, ſecundum veterem conſuetudinem. Quicunque diſcedit, antequam iſtam mercedem ſolverit; mulctetur XL. marcis Regi & civitati. 2. §. Sal & aliæ merces, quas peregrini advehunt, inferentur publicis tabernis, & ibi vendentur, non in cellis aut tabernis poſticis. 3. §. Merces ante nominatæ, velut pannus, linteum, & alia hujusmodi, per totum conſarcinatum vel centenarium vendentur, non per partes aut ulnas: aromata per dodecades: ſal per totas laſtas; niſi egenus ſit & minus poſſideat: tunc omnia ſimul vendentur. Sed & Gothlandis permittitur ſecundum pondo nauticum ſalem vendere, nec minus. Nemini aliter mercari licebit. Quicunque aliter vendit, convictus duobus teſtibus, mulctetur XL. marcis Regi & civitati, cum confiſcatione rei venditæ: ex illa mulcta dentur actori x. marcæ. eadem lex ſit de emptore, ſi mercator ſit. Agricolæ & alii hujusmodi in hoc caſu, mulctentur tribus marcis, & recipiant nummos ſuos quibus mercabantur: vel defendant tres marcas proprio ſuo juramento, quod ignorarent illam legem. 4. §. Si hoſpes alicui civi tradat ſuas merces, ut illas ejus nomine vendat, vel clam vel palam in ſua taberna, vel in toto convoluto vel dimidio, linteum, aromata, per duodecadem totam vel dimidiam, vel prout occaſio fert, ſal ſecundum pondo, vel alias merces, prout uſu venire poteſt, per hyemem vel æſtatem, ſive in urbe ſit, ſive non: Si duobus teſtibus convincatur;

mulctetur peregrinus XL. marcis, & ut res vendita in commissum cadat. Sed qui vendere ejus nomine jussus erat, mulctetur LXXX. marcis, ut ante dictum est. 5. §. Non licebit peregrino suas merces in aliam urbem (*k*), vel regionem, vel nundinas, per alium in fraudem legis, mittere, aut ibi vendere: qui contra facit, ejus merces confiscentur, & ille mulctetur XL. [*l*] marcis, ex quibus actori decem marcæ debentur. 6. §. Si quis reperiatur, qui peregrini nomine hoc faciat in nundinis vel extra nundinas, vel mercibus vel præsenti pecunia, sive lucri sui causa, sive non; mulctetur LXXX. marcis, & confiscatione omnium mercium, tam suarum quàm hospitis, unà cum mulcta hospitis, si duobus testibus convinci possit, salvis inde actori decem marcis. 7. §. Si quis inveniatur, qui ab hospite pecuniam accipiat, ut eâ hospiti merces in urbe emat, & pro ea remercedem ei promiserit vel non, nec bona fide vel palam cum eo contraxerit, vel contraxerit ideò cum eo, ut liber sit à mulcta in hoc casu; fiat de cive & hospite, quod ante dictum est, si duo testes adsint: ex hac mulcta debentur actori XX. marcæ. Si verò quis ante dictorum insimuletur, nec convincatur; cum sex virorum juramento se purgabit: in quo si deficiat; condemnatur. Si mulctam pendere nequeat; pro ea laboret. 8 §. Nemo majores emptionis contractus cum quoquam ineat, vel plus mutuò sumat, quàm vires bonorum ejus sufficiunt, sub mulcta ante dicta: & censum pendat pro modo ac ratione mercaturæ, sub mulcta alibi constituta.

(*h*) *Sup. c.* 18. *&* 22 K. B. St.
(*i*) *cap.* 15 *h. t.*
(*k*) *quàm licitam urbem Stapula ordinat.* R. *de* A. 1636. *art.* 1. 2.
(*l*) XX. *daleris uncialibus hodie. d. Ord.* R.

XXXIV. CAP.

Quomodo peregrini emere in urbibus debeant.

Omnem mercaturam quam peregrini & hospites, quicunque sint, ex Flandria, Germania, Gothlandia, vel undecunque sint, hîc in regno exercere volunt; illam, huc advenientes exercebunt cum mercatoribus emporiorum, & nullis aliis, vel rusticis vel aliis, sub mulcta XL marcarum & confiscatione rei venditæ. 1 § Nimirum in illis mercibus quas hîc empturi sunt, ut butyro, cupro, ferro, lupulo, sebo, phoca, & pellibus, & omnis generis mercibus, eas ement secundum dimidium pondo nauticum, & totam

tam decadem, nec aliter, velut massas cupri: sed qui illud vendit plus habens, suppleat pondo nauticum, & omnia in bilance majore publica ponderari curabit, ut decet. Qui aliter emit aut vendit; mulctetur XL. marcis bipartiendis, cum confiscatione rei emptæ & venditæ. Phocæ axungiam hospites ement ustam, non inustam, sub mulcta utriusque, tam emptoris quàm venditoris, ut ante dictum est. 2. §. Si hospites opus habeant butyro, ad victum suum, aliquot libras emere possunt ab hospite urbis, quò veniunt & mercantur, nec ullo alio cive advena, sub dicta mulcta. Si quis emat butyrum majoris quantitatis, & compingi in tunnam curet; lex de eo sit ante dicta. 3. §. Omnes ex Finlandia, exceptis civibus Aboensibus, ex Nylandia, Roslagia, Helsingia vel Gestricia, nullibi mercaturam navibus exercebunt, nisi *(m)* Holmiæ, sub mulcta XL. marcarum. 4. §. Frumentum peregrini ement per totas lastas, nec minus, tam à civibus quàm rusticis. Gothlandicis tamen permittitur tria pondo frumenti simul emere, nec minus. Qui secus emit; mulctetur ut ante dictum est: & quicunque agricola aliter vendit, mulctetur tribus marcis, vel purget se cum trina manu de ignorantia hujus juris. Cives undecunque sint, in eadem lege cum hospitibus erunt: quia illi jus civitatis, in qua sunt, sciunt. 5. §. Nulli peregrini, ex Flandria vel aliunde, inter se contrahent vendendo aut emendo, dum in regno sunt, sub dicta pœna. 6. § Ex singularum XL. marcarum mulcta actor habet X. marcas, & trium marcarum mulcta unam marcam, nec ex empto vel vendito. Hoc firmabitur duobus viris, & purgabitur sex viris in defectu testium. Qui non potest solvere mulctam, pro eo laboret.

(m) *artic. 1. ordinat. R. de commerc.*



TITULUS VII.

DE JURE NAUTICO.

1. *Quomodo merces navi exonerandæ sint, & cum iis agendum sit in appulsu ad urbem.*
2. *De pace navali.*
3. *Si quis ejiciatur navi ex proposito vel casu.*
4. *Si anchorarii funes ex proposito dissecentur, vel retinacula terræ aut ripæ alligata, quomodo hoc resarciendum sit.*
5. *Si navis in portum vel mare propellatur & in naufragium incurrat, vel quidam*

dam pereant ob recisos anchorarum funes, quomodo hoc plectendum sit.

6. *Si funes præcidantur datâ operâ, & inde damnum oriatur, qualis sit mulcta.*

7. *Si scapha à navi abscindatur, vel truncus anchorarius.*

8. *Si quibuscunq; rebus ad navim pertinentibus damnum inferatur, quomodo pro hoc mulcta sit irroganda.*

9. *De mulcta pro damno navi casu illato, vel inde contingente.*

10. *De navibus ad pontem publicum stantibus, quomodo aliis advenientibus cedere debeant.*

11. *Si navis fundo maris illidatur, nec levetur, prius quàm jactus mercium fiat, quomodo hoc contributione sarciendum sit, vel si navis incidat in maris periculum.*

12. *Si quis inferat merces alienæ navi, nauclero inscio, num habeat in ea merces, vel non.*

13. *Si quis immittat in aliquam navim plures merces, quàm pro quibus conduxit, easque occultet, quæ mulcta pro eo debeatur.*

14. *Si quis conducat ductorem, & pactum inter illos factum sit.*

15. *Si quis conducat navim & contractum servare nolit, vel ille, qui locavit navim, servare nolit.*

16. *Si viri conjunctim conducant navim.*

17. *Si quis dimittat è navibus funem, vel si anchora aut funis rumpatur.*


18. *Si quis nautarum abscindat funem, vel ipse gubernator navis.*

19. *Quamdiu onera quædam vel merces in ponte publico jacere debeant.*

20. *De detrimento, quod potest oriri ex navibus ad pontem civis stantibus.*

I. CAP.

Quomodo merces navi exonerandæ sint, & cum illis agendum sit in appulsu ad urbem.



Uicunque ad urbis portum venit cum sua navi, merces suas non prius exonerabit, quàm obtulerit eas Regis Prætori, vel qui ejus loco est, & ille eas inspexerit cum duobus viris, ut ulterius deciditur. Si nolit, vel non placeat ipsi emere de mercibus in navi; licet ipsi impunè eas exonerare & in domum inferre, ut ante dictum est: ita tamen, ut quod Regi (*a*) placet de mercibus, ad triduum nau-

(*a*) *Iure Regalium in portum, & prælationis in emendo præ aliis.*

nauclerus retineat Regis Prætori, secundum ejus mandatum. Si vendat aliquid ex iis quæ desiderat Prætor intra triduum, nec detineat ejus bono, ut dictum est; in commissum cadunt omnes ejus merces in urbem invectæ, quas Regis Prætor seorsum Regio Fisco addictas capit.

II. CAP.

De pace navali.

Tantum pacis *(b)* habent navigantes in sua navi, quantum alii in sua domo. Et quæcunque dissensiones ibi oriuntur, dijudicabuntur & dirigentur secundum qualitatem facti, quod accidere potest in homicidio, vulneratione, vel quodcunque sit.

(*b*) *c.* 1. §. 1. Edjdr St. *de viol Iur. R.*

III. CAP.

Si quis ejiciatur navi ex proposito vel casu.

Si navis ad pontem publicum stet, & ibi quis ejiciatur navi in mare, duobus viris testantibus; mulcta erit xx. marcarum tripartiendarum, inter actorem, Regem & civitatem; vel purget se sex virorum juramento. 1. §. Si navis ad anchoras stet, & ibi quis ejiciatur navi; mulcta erit XL. marcarum tripartiendarum. 2. §. Si verò hoc casu factum sit, nec interveniat livor, vulnus aut signa cruoris, vel quodcunque quod ejus corpori nocere possit; purget se cum senâ manu, & mulctam trium marcarum pendat soli actori pro casu. Si verò damnum ei inferatur; mulctetur ejus auctor, prout determinatur in titulo de vulneratione. Si pro neutro mulctam solvere possit; fiat de eo, prout judicatur, sive ex proposito (*c*), sive casu factum sit.

(*c*) *confer c.* 14. Sår. m. wll. *de vulner. vol.* St.

IV. CAP.

Si anchorarii funes ex proposito dissecentur, vel retinacula terræ aut ripæ alligata; quomodo hoc resarciendum sit.

Si quis anchorarum funes, vel retinacula terræ aut ripæ alligata discindat; mulctetur tribus marcis tripartiendis, & reficiat funes

nes aut retinacula æquè bona, atque fuerant, secundum bonorum virorum æstimationem. Si non possit solvere mulctam; pro eâ laboret.

Vid. inf. c. ult. h. t.

V. CAP.

Si navis in portum vel mare propellatur & in naufragium incurrat, vel aliquis pereat ob recisos anchorarum funes, quomodo hoc plectendum sit.

Si qui ex proposito discindant anchorarum funes, vel retinacula terræ adfixa, & navis in mare propellatur, & in naufragium vel nimium damnum incidat, vel aliquis pereat, quia anchoræ funis ipsi præcisus erat; resarciatur illud damnum ab authore ejus, vel capite plectatur. Si qui pereant vi interveniente ex lucta, vel alio modo; reddatur vita pro vitâ, nec locus sit mulctæ, si sex virorum testimonium adsit; vel purget se juramento cum duodena manu. Si deficiat in juramento; reus sit facinoris: & actor potestatem habeat mulctas capiendi, vel cum eo transigendi; salvo tamen jure Regi & civitati (d).

(d) *confer cap. 11. Edj. St.*

VI. CAP.

Si funes præcidantur datâ operâ, & inde damnum oriatur; qualis sit mulcta.

Quicunque funem discindit pro alio; mulctetur tribus marcis, & restituat æquè bonum funem possessori, secundum bonorum virorum æstimationem. Si damnum inde contingat; lex de eo ante dicta sit. De fune tractorio & per orbiculos (e) volubiles transmisso, quo vela attolluntur, eadem lex esto.

(e) *vid. Lexic. jur. in Racka.*

VII. CAP.

Si scapha à navi abscindatur, vel truncus anchorarius.

Si cymba navis ex proposito præcidatur & pereat; restituatur alia scapha ex bonorum virorum æstimatione, & mulcta sit sex mar-

marcarum. Si aliud damnum inde oriatur; mulctetur, ut ante dictum est. Si scapha non pereat; sex marcarum mulcta erit pro abscissione. Si quis præcidat truncum anchoræ adhærentem, lex eadem erit: reficiat eum, & sex marcarum tripartiendarum mulctam pendat. Si anchora amittatur; mulctetur amittens ex bonorum virorum æstimatione: si non possit solvere mulctam; pro ea laboret, ut dictum est.

VIII. CAP.

Si quibuscunq; rebus ad navim pertinentibus damnum inferatur, quomodo pro hoc mulcta sit irroganda.

Quodcunque sit ad navim pertinens, cui damnum ab aliquo deditâ operâ inferatur; ille resarciet damnum, cum sex marcis tripartiendis, ut ante dictum est (g), si duo viri testes adsint; vel purgabit se pro ratione damni. Si non possit pendere mulctam, ad laborem damnetur: nisi de vita hominis agatur, vel cædes aut ictus vel abscissio intervenire possit.

[g] *c. 4. & 7. h. t.*

IX. CAP.

De mulcta pro damno navi casu illato, vel inde contingente.

Iam usu venire potest, ut quis alium damno afficiat casu quodam, non proposito, ut si impingat navis ejus alterius funi anchorario & illum diffringat, vel anchoram ejus perdat subitò illam incursando; solvat ei tertiam partem damni [h] anchoræ illati, ex bonorum virorum æstimatione, & sex virorum jurejurando casum, non dolum fuisse; & liber sit à mulcta. 1. §. Si quis ex naufragio orto perdatur; actori pendat soli XL. marcas auctor, XII. viris verum attestantibus, num casu vel dolo factum sit, adjungenda vel damnatione vel absolutione.

(h) *tit. 5. cap. 8. LL. marit. Svec. lib. 3. Jur. marit. Loccenii c. 9. n. 11.*

X. CAP.

De navibus ad pontem publicum stantibus, quomodo aliis advenientibus cedere debeant.

Si navis ad urbem navigans vel remigans adveniat cum mercibus, & ad pontem sistere atque exonerare eas velit; naves ante ad pontem stantes, sed exoneratæ & saburratæ, ei aliquantum

tum cedent,& spatium ad pontem dabunt: Quicunque hoc non facit, pro quolibet die, quo loco movere recusat, postquam per ministrum civitatis jussus est hoc facere, ex Prætoris & senatus mandato, duobus viris præsentibus & testibus, mulctabitur tribus marcis (i) tripartiendis, aut laborabit pro eis, si non sit solvendo.

(i) *ob pertinaciam.*

XI. CAP.

Si navis fundo maris illidatur, nec levetur, prius quàm jactus mercium fiat, quomodo hoc contributione sarciendum sit; vel si navis incidat in maris periculum.

Si navis illisa fundo maris, non levetur, sed necesse sit jactum mercium fieri; omne quod jactum est, resarcietur contributione navis & mercium pro quota; & quilibet jurabit, quod rectè & quod jus erat fecerit de omnibus suis bonis, quæ in navi habebat. Si dissentiant de jactu, plures de jactu certi concludent. 1. §. Si viri in maris vel oceani periculum incidant, & gravis procella exsurget, quæ suadeat jactum mercium; ejectæ merces resarcientur communi contributione, ut dictum est. Si non conveniat inter eos de jactu; plurium sententiâ jactum suadentium stabitur (k).

(k) *art. 12. 20. 40. Iur. maritim. Wisby. & tit. de Iactu &c.*

XII. CAP.

Si quis inferat merces alienæ navi, nauclero inscio, nũ habeat in ea merces vel non.

Si quis inferat merces alienæ navi plures quàm indicavit nauclero, vel cum eo pactus est, & has occultet; in commissum eæ cadent, quas nauclerus solus capit; & mulctabitur occultans XL. marcis tripartiendis pro furto (l), & fur, ut est, audiet, si sex viri testes adsint, vel ipse hoc confiteatur. Si non possit pendere mulctam; flagelletur & proscribatur ex urbe.

(l) *quia furtim infert merces navi, & partem mercedis suffuratur nauclero.*

XIII. CAP.

Si quis immittat in aliquam navim plures merces, quàm pro quibus conduxit, easque occultet; quæ mulcta pro eo debeatur.

Si

Si quis inferat alienæ navi plures merces, quàm pro quibus conduxit, & postea demum hoc indicet nauclero; nauclerus potestatem habebit has avehendi si velit, & plenum naulum pro omnibus istis mercibus capiet, antequam avehi eas curet, prout operariis dat mercedem pro labore suo, & insuper locationis mercedem. 1. §. Si jactus in mari sit faciendus, nec occultatæ merces prius avectæ sint; ejicientur primum istæ merces, quæ absque permissione illatæ sunt, nec pro illis quidquam contribuetur: nisi prius inter nauclerum & dominum istarum mercium conveniat, quàm jactus earum fiat, de vectura vel nón, & de pleno naulo, etiamsi jactæ sint. Si plus ejiciatur; resarciatur contributione pro quota & quantitate mercium, quas quisque in navi habet. Omnia bona cistis inclusa, contributione resarcientur, velut præsens pecunia, duæ marcæ pro unâ ex jactis, quoties contingit ejici bona in mare (m).

(m) *confer Loccen. de Iur. maritim. lib.2. cap.7.§.4. & cap.8 §.9.*

XIV. CAP.

Si quis conducat ductorem, & pactum inter illos factum sit.

Si quis conducat ductorem, qui viam monstrare ei debeat, isque adfirmet se ducturum navim absque omni detrimento per mare & ad destinatum locum: sed postea ita naviget, ut navis illidatur fundo maris, & vectores vel nauclerus inde detrimentum patiantur; potestatem habeant capitis eum accusandi, coram uno tamen judicio, si sex viri testari possint, ipsum tale pactum cum domino navis & nauclero fecisse. Si verò id ex vehementi procella factum sit; impunis sit & liber (n) ab omni damno hinc orto.

(n) *Lib. 1. Iur. marit. c. 7. §. 5.*

XV. CAP.

Si quis conducat navim & contractum servare nólit, vel ille qui locavit navim, servare nolit locationem.

Si quis conducat navim ab alio, sive majorem, sive minorem, & conductor servare contractum nolit etiam arrâ firmatum; solvat dimidium mercedis pro conducta navi & amittat arram, si duo testes adsint. Si etiam ita contingat, ut jam onerarit navim,

& vela faciat ex portu vel in portu, vel gubernaculum & vectis antennæ appareat in navi, in signum procinctæ & paratæ ad abeundum navis, & postea conductor velit ex navi discedere & merces suas exonerare; nihilominus nauclero debetur merces conductæ navis. Eadem lex sit de eo qui locavit (o) navim, si contractum locationis servare nolit.

(o) *aquè atque locans domum. confer sup. c. 10. 12. Wysn. St.*

XVI. CAP.

Si viri conjunctim conducant navim.

Si viri conjunctim conducant navim; nemini inde discedere licebit absque domini navis venia. Si quis discedat, & quasdam merces intulerit navi; plenam mercedem conductæ navis solvat. Si nihil in navi habeat, & inde discedat; dimidium mercedis solvat.

Conf. sup. c. 11. Wysn. St. & seq.

XVII. CAP.

Si quis dimittat è manibus funem, vel si anchora aut funis rumpatur.

Si nauta, vel quotquot sunt, funem nauticum è manibus dimittant; resarciant domino navis omne damnum pro fune vel carbaso, ex bonorum virorum æstimatione. 1. §. Si rumpatur funis aut carbasus vel anchora; domini navis damnum erit. Si ipse ex manibus dimittat; proprium ejus sit damnum.

ex negligentia datum.

XVIII. CAP.

Si quis nautarum abscindat funem, vel ipse gubernator navis.

Si nauta abscindat funem vel carbasum absque magistri navis venia vel consensu; resarciat magistro vel domino navis omne damnum, secundum bonorum virorum æstimationem. Si ipse magister navis amputet; sit ejus damnum, quod ipse fecit sibi (p).

(p) *l. 203. de reg. jur.*

XIX. CAP.

Quamdiu onera quædam vel merces in ponte publico jacere debeant.

Omnes

Omnes merces, in urbem navibus advectæ, non oneri erunt ponti publico, velut cuprum, sal, ferrum aut quidquid sit; nec istic relinquentur aut vendentur, sed exonerabuntur in tabernas aut forum publicum. Si quis secus faciat; pro quolibet die, quamdiu jacent, tribus marcis mulctabitur actori, Regi & civitati. De ligno lex eadem erit, & de aliis hujusmodi.

quibus pons, nimis oneratus, deterior redditur, & deambulatio hominum in eo impeditur.

XX. CAP.

De detrimento quod potest oriri ex navibus ad pontem civis alicujus stantibus.

Si quis alliget navim suam alterius ponti (q), vel palo, vel subscudibus aut fibulis ferreis domus, & inde damnum aliquod oriatur in luxatione domus vel corruptione ædificii; resarciat domino domus omne damnum inde acceptum, secundum quatuor virorum æstimationem, duorum ab utraque parte.

(q) *sup. c. 4. 5. h. tit.*

TITULUS VIII.

DE JUDICIO CURIALI.

1. *Quot actiones vel lites in judicium curiale uno die admittendæ sint.*
2. *Quot dies juridici in curia debeant esse singulis septimanis. quomodo consules & senatores in curiâ adesse debeant; & de mulctâ eorum, qui non veniunt in curiam, quando Regis mandatum ad eos defertur, vel si sigillatim de civitatis negotiis loquendum sit.*
3. *Si quis appellet à Prætoris & consulum sententia, & quid illi opponere debeant, & quomodo pecunia appellationis partienda sit.*
4. *Si non appelletur à prætoris & consulum sententia justo tempore.*
5. *Quomodo juridici dies in foro institui, & quot judices esse debeant. vel quomodo ab eorum sententia appellari, & quid quisque opponere debeat.*
6. *Si quis ad Regium judicium appellare nolit, sed petat sibi prælegi codicem Legum civitatis, quid ipsi tunc faciendum sit.*
7. *Si quis alium in curiam citari curet, quæ sit mulcta non comparentis.*
8. *Si reus non possit solvere mulctam.*
9. *Si actor contra aliquem actionem instituere cæperit, nec eam continuet, vel duplici sermone utatur.*

10. *Si prætor, consules & senatores aliquem arguant vulnerationis, homicidii, ictus membri cruenti, vel alterius hujusmodi facti, nec ipse actor.*
11. *Si plures unum citent ad curiale judicium uno die juridico, quomodo hoc inter illos terminari debeat; & si inter se diffideant atque altercentur, cui primum responderi debeat.*
12. *De causis, velut vulneratione, homicidio & aliis hujusmodi, extra regnum dijudicari cœptis, vel in regno extra urbem, nec dum finitis, quomodo finiri debeant.*
13. *Si quis in judicium curiale veniat, & legitimam sententiam petat à prætore, consulibus & Senatoribus, nec eam accipere possit, quæ sit mulcta.*
14. *De rei vel fontis facti causa, qui non vult cavere de judicatum solvendo, nec tempus ipsi præfinitum servat.*
15. *Quale jus ejus esse debeat qui libenter solvere cupit, nec potest.*
16. *Quomodo dijudicari debeat commodatum ab alio, & tempus de quo altercantur.*
17. *De mutuo conjunctæ manus, quomodo hoc dijudicandum sit.*
18. *De arresto.*
19. *Si vir arrestatus opus habeat fidejussoribus.*
20. *Si accipiat fidejussores, & postea discedat ex cautione, antequam ad respondendum adveniat, quæ tunc mulcta sit, vel quis eam solvere teneatur.*
21. *Si arrestatus in judicium veniat, nec is, qui curavit eum arrestari, quæ ejus mulcta sit.*
22. *Si arrestato sæpius culpa impingi possit ab eodem actore, quomodo hoc inter eos dirimendum sit.*
23. *Quomodo provincialis aut colonus pro se constituere fidejussores debeat, & eorum pœna, qui in in ære alieno sunt, nec mulctum aut debitum solvere possunt.*
24. *Quomodo actor teneatur reum testibus convincere, atque si reus nolit juramentum spondere vel præstare.*
25. *Si se sistat judicio curiali, qui jusjurandum præstare vult.*
26. *Qui testes esse possint ex provincia in urbe, & vice versa, vel quid viri testari debeant in urbe.*
27. *Quomodo ad iter accincti & equitantes juramentum præstare possint in urbe.*
28. *Quomodo cum eo, qui spondet se juraturum, nec proprium domicilium habet in urbe, agendum sit.*
29. *Qui judicio se sistit ad jurandum, quomodo ei juramentum remitti possit.*
30. *De ejus mulctâ qui diffamat honestum virum.*
31. *De mulctâ, pro convitiis solvendâ.*

32. Cui

32. *Cui mulctæ obnoxii sint, civibus, aut ministris pub. civitatis negotia curantibus, injuriam dicto vel facto inferentes.*
33. *Quomodo civitatis & prætoris ministri se gerere debeant in civitatis negotiis, & de pœna delicti eorum.*
34. *Quibus viris in urbe liceat pugiones gestare, vel alia arma.*
35. *Pro quibus delictis liceat fidejussores constituere, vel non, in urbe: vel cui carceri includi debeant rei.*

I. CAP.

Quot actiones vel lites in judicium curiale uno die admittendæ sint.

Non debent plures actiones in alios uno die quam tres admitti; ne alii impediantur etiam agere volentes.

II. CAP.

Quot dies juridici in curia debeant esse singulis septimanis. Quomodo consules & senatores in curiâ adesse debeant; & de mulcta eorum qui non veniunt in curiam, quando Regis mandatum ad eos defertur, vel si sigillatim de civitatis negotiis loquendum sit.

Tres sunt juridici dies in qualibet hebdomade, dies Lunæ, dies Mercurii & dies Saturni. His diebus prætor & senatores in curiam accedent, judicabunt & actiones audient, ut decet: peculiariter illi consules & senatores, qui eo anno considebunt & jus dicent cum Prætore, prout constituti erant (*a*) tempore Walburgis. 1. § Quicunq; alii, vel illi non veniunt in curiam, quando prætor & consules eos vocant, mulctentur XII. oris, quoties vocati non adsunt; & ex istis nummis prætor duas oras capiat, & unam dimidiam marcam consules istius anni præsides, & reliquum Rex & civitas: nisi absens probare possit verum impedimentum. 2. §. Quolibet tempore, quo consules ejus anni jus dicere debent, si tertia vice, qua signum campanâ curiæ datur, in curiam non adveniant; singuli

ſinguli duarum orarum mulctam pendent, & ſinguli ſenatores cum illis judicaturi, unam oram. 3. §. Quicunque civis vel alius vir nuncium accipit à prætore & conſulibus, vel illis qui eorum loco ſunt, ſive ut alicui de debito reſpondere debeat, vel de quacunque alia re, nec compareat in curia; mulctetur tribus marcis Regi & civitati. 4. §. Et quicunque vocatur in curiam, Senator aut civis, à conſulibus, quando Regis mandatum aut literæ ad civitatem veniunt, vel de civitatis negotiis colloquendum eſt, nec comparet in curia; mulctetur tribus marcis civitati ſoli, & hæc omnium conſulum & ſenatorum ſingularis mulcta erit. 5. §. Si quis clamoſum ſtrepitum faciat in curiâ vel foris coram judicio, quando conſules vel ſenatores cauſam audiunt vel judicant; qualibet vice, qua hoc facit, mulctetur dimidia marca Regi & civitati. 6. §. Nullam ſententiam conſules aut ſenatores ferent, niſi præſente Prætore [a], aut alio ejus nomine conſtituto, qui in tempore quolibet juridico die in curiam veniant.

(a) *c. 1.* KB. St.
(b) *Vid. art. 7. Conſt. R. de adminiſtr. & increm. Civit.*

III. CAP.

Si quis appellet à prætoris & conſulum ſententia; & quid illi opponere debeant; & quomodo pecunia appellationis partienda ſit.

Si ita contingere poſſit, ut vel reus, vel actor non adquieſcant ſententiæ Prætoris & ſenatorum, licebit ei ab illa appellare ad Regium judicium cum viginti marcis, intra octiduum à die ſententiæ latæ, & plenam cautionem (c) præſtet. Prætor autem, conſules & ſenatores iſtis xx. marcis opponent xl. marcas. Si eadem ſententia in Regio Judicio ipſi feratur, vel confirmetur quæ in judicio curiali lata eſt, appellans perdit dictas xx. marcas; ex quibus tertiam partem capit prætor, & tertiam conſules ſententiam ferentes, & tertiam partem ſenatores tunc præſentes, quum ſententia ferretur: alii verò non præſentes nihil hic rei habent, ſive debitor ſive creditor. 1. §. Si verò alia ſententia appellanti feratur in Regio judicio, perdunt prætor & conſules xl. ſuas marcas, actori ſoli addicendas,

(c) *Cautio vel fidejuſſio pro expenſis litis & perſequenda appellatione, ad proximum conſeſſum. art. 5. Ordinat. Iudic. Si peregrinus aut pauper fidejuſſores habere non poſſit, juratoria ejus cautio admittitur.* Declaratio Iudicii R. Holm. de A. 1651.

das, qui & recipiet suas xx. marcas : & velut prætor, consules & senatores sententia eorum salva, debuissent xx. marcas tripartiendas accipere, sic sententia eorum mutatâ, xl. marcas expendere debēt.

IV. CAP.

Si non appelletur à Prætoris & consulum sententia justo tempore.

Quicunque à Prætoris & consulum sententia non appellat intra octiduum (*d*) à die sententiæ latæ ; hæc firma & rata erit: nec unquam alicui sit potestas ab ea appellandi.

(*d*) *Fatalia appellationis strictè servanda.*

V. CAP.

Quomodo juridici dies in foro institui , & quot judices esse debeant: vel quomodo ab eorum sententiâ appellari, & quid quisque opponere debeat.

Tot dies juridici erunt in foro (*e*) tam foris, quàm intus in curiâ. Tres quoque judices istic erunt ; unus nomine Regis, instar prætoris vel præsidis, & duo senatores, nomine civitatis. 1. §. Si quis appellare velit ab illorum sententia ad judicium curiale ; mulctetur vel deponat statim duas oras : & illas capiat prætor inferioris judicii, & duo senatores cum ipso judicantes, in tres partes dividendas, si eadem sententia appellanti in curia feratur. Si etiam hîc ei alia sententia feratur ; isti tres judices perdiderunt dimidiam marcam, soli actori addicendam ; & appellans recipiat duas suas oras: Nemo potest in foro sub majori summa appellare, quàm duabus oris (*f*).

(*e*) *hodiè est Camera curiæ.*
(*f*) *hodiè sub tribus marcis appellatur.*

VI. CAP.

Si quis ad Regium judicium appellare nolit, sed petat sibi prælegi codicem legum civitatis ; quid ipsi tunc faciendum sit.

Si quis non adquiescat curiæ sententiæ, nec tamen appellare velit ad Regium judicium , sed petat sibi prælegi codicem Legum [g] civitatis (num sententia legi conformis sit) ponat in

m mensa

[g] *ut ita magis adquiescat.*

mensa quinque oras pecuniæ coram prætore & consulibus: ex illis duas oras capiet prætor, duas singuli consules, & Secretarius civitatis unam oram.

VII. CAP.

Si quis alium in curiam citari curet, quæ sit mulcta non comparentis.

Si quis contra alium actionem intendere velit; civitatis ministrum ad eum mitti, & citari curabit, ut ad respondendum veniat proxima juridica die in curiam: & vir eum citari curans dabit civitatis ministro duos nummos pro labore suo. Si compareat in judicio eo die, quo citatus est, cum legitima mulcta vel pecunia, benè est: si non compareat, vel veri ejus impedimenti testes in curia testentur, quod non fuerit in urbe, vel in morbo decumbat, uno, altero & tertio die; qualibet vice mulctetur tribus oris tripartiendis. 1. §. Si non quarta vice absque impedimento veniat ad respondendum, mulctetur tribus marcis, ut ante dictum est, & damnetur in causam principalem, cuius arguitur, si pleni testes adsint, pro qualitate causæ: & postea Prætor, consules & Senatores eligant duos cives, cum civitatis ministris & proximis vicinis viri accusati, qui simul adsint, & curent ut sufficiens pignus tradatur actori: & actor det ministro civitatis quatuor nummos pro labore suo; & hi quatuor nummi & citationis pecunia deducantur ex rei pignore, cum debito, vel quando reus actorem à se separat. Postea civitatis & Prætoris ministri capiant plenum pignus pro contumacia rei, & qualitate causæ, & prout illi jubentur capere, præsentibus duobus civibus. Si verò pignus eis denegetur; rei vel sontis mulcta dimidio major erit. 2. §. Nemini licebit reo ullam vim facere, sed sistent eum Prætori & Senatui. Si ne tunc quidem pro delicto suo satisfacere velit; prætor & senatores immissionem in ejus, volentis nolentis, bona actori dabunt, pro ratâ æstimanda. Si non præsens pecunia adsit; æstiment ex utensilibus quæ sunt in domo: si illa non adsint, æstiment ex eius domo & fundo; sic tamen ut ipse vel hæredes ejus intra annum & noctem redimere possint immobilia. Eadem lex sit de citari curante, si reus compareat in judicio, non verò actor; ita tamen ut in mulctas, non principalem causam damnetur.

Confer Diss. 30. qu. 7. Synops. jur.

VIII.

VIII. CAP.

Si reus non possit solvere mulctam.

Si reus non possit pendere mulctam, aut æs alienum, cujus arguitur, solvere; pro eo laboret primò actori, deinde Regi & civitati: nisi actor, Rex & civitas impunem dimittere velint; præcipuo tamen jure dimissionis actori reservato.

S. I. Diss. 29. qu. 8.

IX. CAP.

Si actor contra aliquem actionem instituere cæperit, nec eam continuet, vel duplici sermone utatur.

Si aliquis actor in judicium curiale veniat, & contra alium actionem movere cæperit, mox desistat, nec legitimè eam persequi velit; is mulctabitur tribus marcis tripartiendis, & cadet causa sua. Si quis mutet sermonem & quasi bilinguis sit, sive actor sive reus, mulctetur tribus marcis tripartiendis. 1. §. Si quis etiam alteri non respondeat lege, vel satisfaciat pecunia; mulctetur tribus marcis. Nemini liceat sub mulcta XL. marcarum tripartiendarum, & amissione actionis suæ, litem cæptam deponere, antequam in judicio civitatis legitimè finita sit. Et quisquis in tali citatione, nomine actoris vel rei agens, deseruerit causam, mulctabitur XL. marcis.

Vid. S. I. Diss. 30. qu. 25.

X. CAP.

Si prætor, consules vel senatores aliquem arguant vulnerationis, homicidii, ictus membri cruenti, vel alterius hujusmodi facti, nec ipse actor.

Si prætor, consules vel senatores alicui culpam vulnerationis vel ictus cruenti membri, vel cujuscunque facinoris impingant, dicantque ipsum clam satisfecisse actori, alter verò neget: illi verò ad hoc habeant veros testes, duos cives, qui jurare velint, rem inspectam & cognitam fuisse eodem tempore, quo facinus commissum erat, vel factum evidens sit; illi eandem potestatem

habebunt eum convincendi, atque si ipse reus præsens hoc faceret. Actor verò cadit jure suo, & mulctatur XL marcis, & omnes hujus rei participes: reus autem mulctam pendet Regi & civitati pro qualitate delicti. Si prætor, consules & senatores tale testimonium, de quo modò dictum est, producere non possint, vel factum non sit evidens; purget se reus pro ratione culpæ in eum conjectæ.

Confer Diss. 30. Q. 5.

XI. CAP.

Si plures uno citentur ad curiale judicium uno die juridico; quomodo hoc inter illos terminari debeat: & si inter se dissideant atque altercentur; cui primum responderi debeat.

Si plures uno citentur ad judicium curiale uno die juridico, tunc prius citato prius respondebitur, & deinde singulis eo ordine, quo citati sunt: Non enim debet unus reus vel potest pluribus actoribus simul respondere, sed uni. Si vero quisque dicat se prius citatum esse, citantis jurata assertione, si ita necesse sit, stabitur.

c. 21. Rätt. OL. §. 1.

XII. CAP.

De caussis, velut vulneratione, homicidio & aliis hujusmodi, extra regnum dijudicari cæptis, vel in regno extra urbem, necdum finitis, quomodo finiri debeant.

Si viri rei fiant in aliis regionibus, vel aliis urbibus extra regnum, nec prius eorum causæ ad finem deducantur, quàm ad fretum Aspöense (*b*) perveniant; mulctentur secundum jus civitatis. 1. §. Omnia delicta quæ committuntur inter Aspöense fretum & Stocholmiam, vel ab extraneis vel indigenis, exceptis intra fauces marinas habitantibus; eidem legi obnoxia sint. Si quis, vel agricola vel alius, quid delinquere potest inter urbem & Regium portum, vel inter Stocholmiam & crucis portum, ut vocant, vel Asöna insula, Stocholmiæ campo vel prato; eidem legi subjectum est. 2. §. Eandem legem habent omnes urbes intra regnum, secundum urbium limites: Et ubicunque viri conveniunt intra vel extra regnum, nec

nec lites finiuntur in ea urbe in quam primum adveniunt, non habent potestatem eas deponendi sub mulcta XL. marcarum, priusquam stiterint se judicio urbis in qua habitant, ibique litem finierint. 3. §. Si quis capiatur in urbe delicti sui causa, & crimen sit capitale, ubicunque illud commissum fuerit, vita pro vita reddatur, si mulctam solvere non possit. Si sit aliud delictum; mulctetur pro qualitate facti. Si mulctam præstare non possit; puniatur pro ratione admissi, sive actor vel accusator adsit, sive non (i), & facinus manifestum sit: ita tamen, ut illud prius disquiratur rationibus & cognoscatur, causis & circumstantiis facti discussis, antequam mulctetur, vel capite plectatur delinquens. 4. §. In loco delicti facinus cognoscetur, & mulctabitur in loco habitationis delinquentis.

(h) Processus Curialis MS. c. 2. a. 2. pro his verbis cap. ita reponit: *nec prius causæ finiantur, quàm veniant ad urbem ubi habitant aut versantur.* Vid. Lexic. Iur. in Asyasunda. Unde colligere est, verba legis hodie non amplius in usu esse.

(i) *Vid. Syn. Iur. Diss. 30. qu. 5.*

XIII. *CAP.*

Si quis in judicium curiale veniat, & legitimam sententiam petat à Prætore, consulibus & senatoribus, nec eam accipere possit, quæ sit mulcta.

Si quis in judicium curiale veniat, & petat legitimam sententiam super actione sua à prætore, consulibus & senatoribus; illi jus in actione sua ei administrabunt, nec illud diutius protrahent, quàm ad secundum vel tertium diem juridicum. Si causa sit perplexa aut ambigua; omnes senatores tertio juridico die convenient, antequam sententiam ferant, & sciant istam causam finiendam esse. Si etiam tantus casus in eo sit, ut ne tunc quidem vel proximè subsequente juridico die finiri possit; prætor mulctam trium marcarum pendet, singuli consules tantumdem pendent, & singuli senatores unam marcam, quæ in tres partes dividentur inter actorem, Regem & civitatem: vel jurabunt sibi non liquere (k), vel in eorum legibus scriptum non esse.

(k) *Ignorantia juris an excuset*, vid. Synops. jur. Diss. 1 qu. 4.

XIV. *CAP.*

De rei vel sontis facti causa, qui non vult ca-

vere de judicatum solvendo, nec tempus ipsi præfinitum servat.

Si vir in judicium curiale veniens, reus fiat, & inde abeat, non commissa mulcta, aut præstitâ pro eâ cautione, nec servet obedientiam; delictum suum auget tribus marcis, & postea dimidio majore mulcta, quoties vocatus advenit vel non, dum pro mulctæ solutione non cavit: nisi legitima impedimenta intervenerint. Postquam autem ter vocatus non advenit nec satisfacit, causa ejus principalis & mulcta æstimabuntur ex ejus bonis, ut alia delicta; nisi cum Prætoris, consulum & senatorum veniâ abierit. Hæc sit lex de ære alieno vel alia re: eadem lege fruantur omnia emporia. Si non possit mulctam præstare, pro ea laboret secundum qualitatem facinoris. 1. § Quando Prætor, consules & senatores prohibent quosdam rixari in curia vel alibi, ut nemo eorum laceret alterius nomen aut famam verbis aut factis, sub confiscatione omnium bonorum ejus, vel XL. marcarum mulctâ, vel vitæ & bonorum dispendio, & interim contra interdictum *(l)* faciunt; mulctæ tripartitæ prius solventur, deinde pœna sumetur de reo pro causæ qualitate. Si verò mulctam solvere nequeat, pro ea laboret, secundum facti circumstantias. Eò gravius autem in illum animadvertetur, quo delictum magis iteratum est (*m*), & quod obedientiam vel audientiam servare nolebat.

(*l*) *Interdictum, vel mandatum pacificatorium,* Fridebudh.

(*m*) *Iteratio aggravat delictum.*

XV. *CAP.*

Quale jus ejus esse debeat, qui libenter solvere cupit, nec potest.

Si quis libenter solvere velit, nec potest mulctam aut æs alienum pendere, sed paratus est omne judicium & emendationem accipere, atq; ita spectatur ejus egestas & quomodo in æs alienum inciderit; stabit actoris, Regis & civitatis justo arbitrio ejus causa: ita tamen, ut si æs ejus alienum ex fœnore (*n*) ortum sit, actor minimum jus habeat.

(*n*) *Confer Synops. jur. Diss. 11. qu. 1. & 6.*

XVI. CAP.

Quomodo dijudicari debeat commodatum ab alio, & tempus, de quo altercantur.

Pro

Pro omnibus mercibus aut rebus quas aliquis capit, si promittat se confestim soluturum, nec interveniat commodatum totius vel dimidii diei; hoc eodem die, quo in judicium deducitur, antequam sol occidat, dijudicabitur vel in pignore, vel pecuniâ. Si qui dies interveniant, sive pleni, sive dimidii; damnetur ad debitum solvendum, ante solis occasum, intra XIV. dies. Si mandatum aut judicatum non servetur, & sæpius exigatur debitum; cum moram ducente agetur, ut ante dictum est. 1. §. Si usu venire possit, ut quis utatur alterius mensa vel victu, & contra illum actio instituatur; hæc eodem die *(o)* dijudicabitur vel in pignoris obligatione, vel pecuniæ solutione. Præsens pecunia, merces conductæ domus aut conductæ navis, merces meritoria, ejusdem juris sunt. Si qui diffideant de ære alieno, unus dicat commodatum esse, alter neget; hoc stabit duorum virorum testimonio, qui præsentes erant, quum pactum de eo inter illos fieret.

(o) *Vid. Diss. 10. qu. 3. S. I.*

XVII. CAP.

De mutuo conjunctæ manus, quomodo hoc dijudicandum sit.

Si duo conjuncta manu vel in solidum quædam bona mutuò accipiant, & alter eorum aufugiat; creditor plenum capiat ab eo qui remanet, & hic jus suum quærat ubi potest. Si ambo remaneant, & exigatur ab illis debitum alternativè *(p)*; non ideò creditor jus suum amisit, sed utrum eorum prius convenit vel deprehendit, ab eo quod ipsi debetur capiat, ac si ambo adessent.

(p) *Confer in S. I. Diss. 10. qu. 8.*

XVIII. *CAP.*

De Arresto.

Omnes viri quicunque sint, vel eorum bona, exceptis Regis Senatoribus, vel Equitibus, vel Sacerdotibus, vel qui Regis negotia curant, possunt arrestari cum duobus civibus, non verò aliis, ut civitatis vel domesticis ministris. 1. §. Patrisfamilias uxorem non licet arrestare, sed utriusque bona, equum vel alia. Viduam licet *(q)* arrestare.

(q) *Vid. Diss. extraord. 4. de Arresto.*

XIX. *CAP.*

Si vir arrestatus opus habeat fidejussoribus.

Si

Si indigeat fidejussoribus arrestatus; ducat eum Prætoris minister, vel civitatis minister, hoc absente, per tres plateas, vel ad eum locum, ubi petit fidejussores, quos ab eo capiat; & accipiat quatuor nummos ab actore pro labore suo; ut tamen reus eosdem illi reddat. Si non possit habere fidejussores, in civitatis carcerem (r) ducatur.

(r) *Confer artic. 38. de Administr. & Increm. civit. & art. 38 Privileg. Civit. Holm.*

XX. CAP.

Si accipiat fidejussores, & postea discedat ex cautione, antequam ad respondendum adveniat, quæ tunc mulcta sit, vel quis eam solvere teneatur.

Si arrestatus fidejussorem accipere possit, & ille ad respondendum accedat; fidejussor sit liber à cautione, & is jure conveniatur, qui debitor est. Si verò debitor aufugiat; fidejussor ejus mulctetur tribus marcis, pro arresto, tripartiendis, & in principalem causam damnetur, sive majoris summæ, sive minoris sit. 1. §. Quisquis pro alio cavet, & ille pro quo cautum est, aufugit; cautor (s) pro eo teneatur, sive de pecunia, sive aliâ re agatur.

(s) *Diss. 20. qu. 2. S. Iur.*

XXI. CAP.

Si arrestatus in judicium veniat, nec is qui curavit eum arrestari; quæ ejus mulcta sit.

Si arrestatus in judicium veniat, & ad omne jus se offerat (t): nec actor, nisi judicio peracto, adveniat; ei, qui arresto detentus erat, detur venia domum eundi, & actor mulctetur tribus marcis tripartiendis, ideò quod non persequebatur actionem suam. 1. §. Si reus alio tempore adveniat, vel etiam tertia vice, & vadimonio detineatur; si ne tunc quidem actor jus suum quærat, pro qualibet vice mulctetur tribus marcis, ut dictum est: nec unquam illum inquietandi [u], aut sæpius arrestandi potestatem habeat. Si non possit pendere mulctam, pro ea laboret.

(t) *Sup. c. 15. h. tit.*
(u) *relaxatio ab arresto. Vid. dict. Diss. de Arresto, qu. 7.*

XXII. *CAP.*

Si arrestato sæpius culpa impingi possit ab

eodem

eodem actore, & in eadem causa, quomodo hoc inter eos dirimendum sit.

Si actor reum sæpius culpare, & arrestari eum facere possit, tunc rixa inter eos oritur: unus ait, se sæpius (x) arrestatum esse pro eodem debito, alter negat; hoc stet eorum testimonio, per quos arrestum ei imponebatur, num pro eodem, vel alio debito arrestatus sit: si dicant, pro eodem; relaxetur, & actor mulctetur tribus marcis: vel si dicant, pro alio; jus suum quærat actor cum eo, uti decet. Et ubi quis alium arrestari curat; duo cives, eum arrestantes, eorum dissensionis causas scire debent.

(x) *Confer in Synop. Iur. Diss. extraord. 4.·b.21. & ibi except.*

XXIII. CAP:

Quomodo provincialis aut colonus pro se constituere fidejussores debeat: & eorum pœna, qui in ære alieno sunt, nec mulctam aut debitum solvere possunt.

Si contingat, ut provincialis vel colonus arrestetur pro debito suo (y), nec fidejussores in urbe ex civibus accipere possit; prætor pro eo fidejubeat, & solvatur ex bonis ejus, si sufficiant, æs alienum: si non sufficiant, pro eo laboret, ut pro alio debito. 1. §. Si sit extraneus, nec habeat quod solvat; in urbis custodia sit, donec bona ad eum mittantur, quibus æs alienum solvere possit: & pro victu, in carcere à se consumpto, satisfaciat. Actor verò non plus quàm duos nummos quotidie, dum in carcere est, ei suppeditabit. Si debitum suum expungere & solvere nequeat; pro eo laboret, ut pro alio. Eadem lex sit de cive in pari casu.

(y) *Vid. Diss. 9. qu. 21. S. I.*

XXIV. CAP.

Quomodo actor teneatur reum testibus convincere, atq; si reus nolit juramentum spondere vel præstare.

Si actor possit illum, contra quem actionem instituit in judicio curiali, convincere, reus autem inficias eat; actor eodem loco nominabit suos testes, & eodem, vel proximè sequenti die juridico juramentum præstabit. 1. §. Si verò possit esse occultum, non testatum facinus, & reus illud neget; eodem die juridico se juraturum

rum ſpondebit, pro qualitate facinoris; & eo die juramentum præſtabit, quem Prætor & Senatores ei præfiniunt, velut ſecundo vel tertio die juridico. Si verò juramentum ſpondeat eo die quo non licet ipſi, vel facultas jurandi non eſt; conveniat inter ipſum & actorem de die præſtandi juramenti: ſi non inter illos de eo convenire poſſit; determinent ipſi diem prætor & ſenatores.

Confer c. 1. Wåd of får *OL. & cap. ſeq.*

XXV. CAP.

Si ſe ſiſtat judicio curiali, qui juramentum præſtare vult.

Si veniat in judicium curiale, qui paratus eſt juramentum præſtare, ſed actor non compareat, vel non ſit in urbe; prætor & ſenatores faciant eum jurare, quod tam legitimum erit, atque ſi actor præſens fuiſſet: & nemini licebit illud juramentum irritũ (z) reddere. 1. §. Si deficiat in juramento; damnetur in principali actione contra ipſum inſtitutâ, & mulctetur tribus marcis tripartiendis, ſive de pecuniâ, ſive alia re agatur. Si etiam negligat iſtum diem quo jurare debet, vel tergiverſetur, vel neget ſe diem elegiſſe, & tamen aliter convincatur; eadem lex erit.

(z) *Excipe, niſi appellatum ſit, & Rex verum exquirere velit. c.77.* Ting.

XXVI. CAP.

Qui teſtes eſſe poſſint ex provincia in urbe, & vice verſa, & quid viri teſtari debeant in urbe.

Nulli teſtes admittendi ſunt ex provincia in urbe, nec ex urbe in provincia; niſi apprehendatur inveſtigatio & purgatio facti. 1. §. Omnes poſſeſſionati viri, velut agricolæ & alii hujusmodi, ſi rationabiles ſint, poſſunt teſtimonium perhibere in urbe de homicidio, vulneratione & alia tali re, præſertim ſi in re præſenti fuerint. De debito & eò pertinentibus non poſſunt illi nec alii coloni teſtari (*aa*). hoſpites in eadem cum illis lege erunt.

(*aa*) *Quia hujus rei cives & mercatores præſumuntur majorem notitiam, quàm illi, habere.*

XXVII.

XXVII. CAP.

Quomodo ad iter accincti & equitantes juramentum præstare possint in urbe.

Ad iter accincto viro licebit eodem die præstare juramentum quo promisit, quando juramentum ei prælectum est. Si in equo sedeat, ibidem ei jurare licebit, & nautis in navi sua (*bb*), vel scapha, vel in portu in quo subsistunt; si ita necesse sit, nec aliter.

(*bb*) *ne detineantur ab itinere suo. Confer Ius Prussic. 1, 13. de jure hospit.*

XXVIII. CAP.

Quomodo cum eo qui spondet se juraturum, nec proprium domicilium habet in urbe, agendum sit.

Si quis promittat se juraturum, nec proprium in urbe domicilium habeat; pro se & juramento suo constituet fidejussorem. Si actor non adsit tempore præstandi juramenti; nihilominus, Prætore & Senatoribus ita disponentibus, præstabitur juramentum, ut ante dictum est. Si aufugiat juramentum promittens, & deficiat in jurando; fidejussor pro eo mulctam trium marcarum pendet, & respondebit pro causa eius. Si non possit accipere fidejussorem, agatur cum eo, ut dictum † est.

† *c. 23. h. tit. ut urbis custodia includetur.*

XXIX. CAP.

Qui judicio se sistit ad jurandum, quomodo juramentum ei remitti possit.

Si judicio se sistat juraturus, vel testimonium suppleturus; si actor, prætor & senatores ei remittant juramentum, æquè valebit (*cc*) remissum atque præstitum juramentum. Si postea dissentiant, unus dicat præstitum esse juramentum, alter neget; testentur prætor, consules & senatores præsentes, num remissum sit juramentum vel non, vel num hoc civitatis literis firmarint.

(*cc*) *Diss. 30. th. 32. S. I.*

XXX. CAP.

De ejus mulctâ, qui falsò diffamat honestum virum.

Qui per mendacium traducit aut diffamat honestum viri aut fœminæ nomen, sexaginta marcis tripartiendis mulctabitur, si sex bonorum virorum testimonium adsit. Si non possit solvere mulctam, flagelletur & proscribatur ex urbe, nec unquam in eam redeat, sed decolletur, si redeat. Si non adsint testes, purget se cum duodena manu *(dd)*: si deficiat in purgationis juramento, damnas esto.

(dd) Differt. 30. qu. 2. 3. S. I.

XXXI. CAP.

De mulcta pro convitiis solvenda.

Quisquis alium convitiis proscindit, & convincitur duobus viris bonis & idoneis, mulctetur XII. marcis: vel purget se cum sex virorum juramento. Si non possit solvere mulctam; os suum percutiat *(ee)*, & ipse se mentitum esse fateatur, & flagelletur & proscribatur ex urbe, nec unquam in eam redeat; nisi actor pro eo intercedat. Si etiam in urbem redeat absque veniâ; ejus pœna sit prius dicta, & quoties in urbem venit. Si ei permittatur in urbe esse, & hujusmodi facinus sæpius committat; flagris cædatur & proscribatur ex urbe, nec unquam redeat in eam præcariò vel alio modo, sed præcidatur ei lingua. I. §. Hæ sunt calumniæ vel convitia, pro quibus mulcta pendi debet: convictus fur, convictus latro, convictus mendax, convictus populator, convictus incendiarius, convictus caninus filius, convictum mancipium, si liber sit: vel si honesta fœmina vocetur, convicta meretrix, vel convicta lupa, vel convicta lamia, vel convicta malefica, aut venefica. 2. §. Si quis etiam alii viro aut fœminæ dicta convicia faciat, velut populatoris filium, lupæ filium furis filium vocet, nec addat *(ff)* convictum, & duo testes adsint; mulcta dimidio minor sit. Si non possit solvere mulctam, flagellabitur, nec relegabitur, nisi sæpius in hoc facto deprehendatur. Si hujus facti insimuletur; purget se sex virorum juramento, in defectu testium.

(ee) Vid. lib. II. Antiquit. Sueogoth. cap. IX.

(ff) Quia majoris æstimationis injuria est, in aliquem tanquam criminis, quod tamen probari non potest, jacta, quàm in suspectum aut insontem; de qua re in Differt. de Injuria plura.

XXXII. *CAP.*

Cui mulctæ abnoxii sint, civibus aut ministris publicis, civitatis negotia curantibus, injuriam dicto vel facto inferentes.

Si

Si ita fieri possit, ut prætor & senatores nominent quosdam cives, jubeantque civitatis negotia curare, quæcunque sint; si qua illis injuria inferatur verbis aut factis, dupli mulcta erit *(gg)*. 1. §. Civitatis & prætoris ministri non plus valent verbis, vel non pluris æstimantur (nimirum extra officium suum) quàm illi viri qui nulla civitatis negotia curatum eunt.

(gg) *Vid. Diss. 27. qu. 7.*

XXXIII. *CAP.*

Quomodo civitatis & Prætoris ministri se gerere debeant in civitatis negotiis, & de pœna delicti eorum.

Civitatis & Prætoris ministri, quicunque sint, civiles & fideles esse debent in omnibus negotiis, quæ jubentur curare, erga pauperes & divites, cives, colonos & hospites, noctu & interdiu: nulli suum vi adimere, nullum deformare, sive verbis, sive factis. Si aliter deprehendatur, & illi noxii fiant, testibus convicti, pro noxâ plectentur, ut alii viri, in verbis & factis, nec ulla delicti gratia illis fiet. Sed prætor cum senatoribus de prætoris ministrorum delicto, & senatores cum prætore de civitatis ministrorum delicto, quando hoc ab illis committitur, vel illi eo nomine accusantur, legitimè judicabunt *.

* *Confer cap. 7. §. 2. h. t.*

XXXIV. CAP.

Quibus viris in urbe liceat pugiones gestare, vel alia arma.

In quam urbem extranei hospites veniunt, ibi arma sua & gladios deponere debent, nec penes se habere, dum in urbe versantur, sive interdiu sive noctu, clam vel palam, veluti sunt enses, pugiones, macharæ, sicæ, vel quæcunque arma sint, excepto cultello. Si verò bello infestentur, cum venia & ordinatione prætoris & senatorum illis arma gestare licet. Qui secus facit, quoties in eo deprehenditur, in commissum cadent ejus arma, quæ prope se habet, & sex marcis mulctabitur: si mulctam solvere nequeat, pro eâ laborabit. 1. §. In quacunque regni urbe civibus non licebit arma gestare, ut modò dictum est, & sub eadem mulctâ, nisi hære-

ditaria bona possideat in urbe, & XL. marcarum mobilia, sive continuè sit in urbe, sive non. 2. §. Si civis etiam proficiscatur ab una urbe in aliam commerciorum suorum causa, & eò veniat, quò cogitavit; de eo lex eadem sit, quæ de aliis civibus istic habitantibus. 3. §. Aulici continuè & absque mora ad negotia sua peragenda, vel proprio vel Regis nomine, ad emporia, ad hunc vel illum, ultro citroque, & quò fert iter eorum, proficisci debent: ideò armis suis carere non possunt in urbe, vel ubicunque sit. 4. §. Rusticis & otiosis servis vel conductitiis non licet arma (*hh*) gestare in urbe, sub mulcta ante dicta.

(*hh*) *Confer c. 7.* Sår m. Wåb. 11. *& Antiq. Sueogoth.* 3, 2.

XXXV. CAP.

Pro quibus delictis liceat fidejussores constituere, vel non, in urbe: vel cui carceri includi debeant rei.

Pro omnibus delictis liceat civibus ac hospitibus in urbe fidejussores constituere; nisi sunt delicta capitalia [*ii*], in quorum recenti actu quis deprehensus est: pro omnibus verò delictis rei in civitatis carcerem conjicientur; nisi in Regem ipsum vel Regis ac regni senatum deliquerint; vel contemserint Regis officialium mandatum, Regis nomine illis cum ratione injunctum: tunc Regio Prætori cum Senatoribus arbitrarium erit, pro qualitate facti, illos vel regiæ [*kk*] turri, vel civitatis carceri includere.

(*ii*) *Vid. Synops. jur. Diss. 20. th. 3. & 12.*
(*kk*) *Vid. art. 38. Constit. R. de Administr. & Increm. Civitatum.*

TITULUS IX.

DE VIOLATIONE PACIS à REGE JURATÆ

1. *Si quis equitet ad domum alterius, animo nocendi ei.*
2. *Si quis confugiat in domum alterius, inimici sui causa.*
3. *Si damnum accipiat, antequam in domum patrisfamilias veniat.*
4. *Si quis ingrediatur alterius domum, nec cædat aliquem ad livorem vel cruorem usque.*
5. *Si homicidium vel vulneratio committatur in pace domestica.*
6. *Si quis damnum accipiat alibi, quàm domi suæ*

7. *Si*

I. CAP.

Si quis equitet ad domum alterius, animo nocendi ei.



SI quis equitet ad domum alterius vel eat, proposito lædendi eum, vel aliquem ex ejus familia, vel qui in ejus domo est, vel hospitem ejus, vel qui compulsus in ejus domo refugium quærit; & ingressus domum cædat, occidat, vel plenum vulnus inferat, vel graviter percutiat ad livorem vel cruorem usque: Omnes qui cum illo

illo in cætu & comitatu (a) fuerunt, violarunt juramentum regium. 1. §. Eadem lex erit in pace navis, balnei, latrinæ & aliorum hujusmodi locorum, de quibus postea suo loco.

(a) *Vid. Diss. 29. qu. 1. 2. S. I.*

II. CAP.

Si quis confugiat in domum alterius, inimici sui causa.

Si quis refugium quærat in alterius domum, inimici sui, ipsum persequentis, causa, & persequens jaciat aut jaculetur in eum, ita ut inde moriatur, vel graviter ad cruorem, vel livorem usque vulneretur aut percutiatur, postquam venit in ejus ædes, cujus auxilium quærebat; & ille & omnes illius comites violarunt juramentum regium.

quia pleraque hujus tit. & seqq. capita sunt eadem cum capp. horum titulorum in jure prov. Nota ad istac adiri possunt.

III. CAP.

Si damnum accipiat, antequam in domum patrisfamilias veniat.

Si verò damnum accipiat præcurrens, antequam in ejus domum, quò confugiebat, veniret; non violatum est juramentum regium.

IV. CAP.

Si quis ingrediatur alterius domum, nec cædat aliquem ad livorem vel cruorem usque.

Si qui equitent vel eant ad alium in domum ejus, proposito ei nocendi, sed ad effectum non perducant, nec aliquem feriant ad cruorem usque, percutiant aut occidant; mulctabuntur XL. marcis (b) tripartiendis. 1. §. Si effringant domum, aut percutiant alicui tibias, vel protrudant, aut feriant eum ad sanguinem vel livorem usque, vel quod noceat ejus corpori, sex viris testibus; ibi violatum est juramentum regium, vel purget se cum duodenâ manu.

(b) *Malus animus & propositum nocendi etiam hic mulctatur.*

V. CAP.

V. CAP.

Si homicidium vel vulneratio committatur in pace domeſtica.

Si vir invadens alienam domum nocendi animo, in defenſione pacis domeſticæ occidatur, vel vulneretur, vel cædatur ad cruorem vel livorem usque, dum in eo eſt, ut violet pacem domeſticam; omne erit impune quod patitur. Si vero vel ipſe nociturus, vel comites ejus retrocedere velint; omne quod ipſis infertur damnum in domo vel area, impunè erit. 1.§. Si colluctentur in aditu portæ, aut veſtibulo, & pedes intra veſtibulum cadant, & caput extra, verſus eos qui violenter invadebant domum; impunè ſit: Si pedes extra, & caput intra cadat; reus ſit homicida. Eò enim caput cecidit, ubi pedes ſtabant.

VI. CAP.

Si quis damnũ accipiat alibi quàm domi ſuæ.

Si is excurrat domo, ad quam nonnulli equitabant vel ibant, & eum occidant, feriant aut percutiant poſtea, ex quo venerant ex domo ejus; mulctabuntur, prout facinus ſe habet in vulneratione vel alio caſu, non ſecundum violationem juramenti regii. Si etiam dominus domus accipiat vulnus, vel occidatur, poſtquam venerat ex domo ſua; plectetur hoc etiam ſecundum jus civitatis, pro ratione facinoris in vulneratione aut homicidio: dum ille pellebatur extra domum ſuam à volentibus pacem domeſticam turbare, nec tamen violatum eſt juramentum regium in his quæ extra domum fiebant.

VII. *CAP.*

Si viri conveniant amici, & diſcedant inimici.

Si viri conveniant in domo amici & concordes, & ſeparentur diſcordes; non violata eſt pax domeſtica. Sed ſi quis iratus excedat domo, colligat ſibi arma & auxilium, & poſtea revertatur in eandem domum, cædat, interficiat, vel faciat ante dicta; tunc ille & omnes cum eo violarunt juramentum regium. Si vir, pacem domeſticam violans, moriatur, antequam ſatisfecerit pro iſta violatione; hæredes (c) ejus mulctam pro ratione adquiſitæ hæreditatis præſtent, & ut ante deciſum eſt.

(c) *hæredes ex defuncti pœnali judicio tenentur.*

VIII. CAP.

Si quis ſe vindicatum eat poſt cauſam conciliatam & mulctam ſolutam.

Si quis ſe vindicet poſt rem judicatam & mulctam ſolutam; violavit juramentum regium. Tunc XII. virorum Nemda juratò teſtabitur, num alia diſſenſio intervenerit, vel non.

IX. CAP.

Si quis ſe vindicatum eat poſt mulctam ſtipulatam vel cautam.

Non licet ſe vindicare, poſt cautionem pro mulcta; niſi velit ſe vindicans violare juramentum regium. Si tamen inter actorem & reum ita convenerit, ut, ſi cautio pro mulctæ ſolutione non facta ſit, nec mulcta præfinito die ſolvatur, ultio permiſſa ſit. Si verò ſe ulciſcatur, poſtquam cautum eſt pro mulcta; violavit juramentum regium. Si tamen pars mulctæ ſoluta ſit; non licet ſe ulciſci, ſed exigat actor quod reſtat, & quidem lege.

X. CAP.

Si quis ulciſcatur alium, & alius facinus committebat.

Non licet vindictam exercere in alium, & alius facinus perpetrabat: tali vindictâ violatur juramentum regium. Stabit autem hoc XII. virorum cognitione, num talis vindicta fuerit vel non, vel alia diſſenſio intervenerit.

XI. CAP.

Si quis virginẽ aut mulierẽ vi ſtupret.

Si virgini aut mulieri violentum ſtuprum ab aliquo inferatur, & ille in ipſo facinore deprehendatur; capite plectetur, ſi ſex virorum teſtimonium adſit. Si in ipſo facinore non deprehendatur, ſed exſtent veſtigia laceratæ veſtis in illo vel illâ, vel audiatur clamor & imploratio auxilii, atque inde inſimuletur facinoris, in defectu teſtium; committetur hoc XII. virorum cognitioni, dimidia pars Nemdæ à parte actoris, & altera pars dimidia à parte rei erit: ſi eum abſolvant, abſolutus erit: ſi damnent, in arbitrio actoris ſtabit, num mulctas ab eo, ſi tantum in bonis habeat, capere, vel capite eum plecti velit; ita tamen, ut ſi mulctas capiat, ſalvum ſit Regi & Civitati jus ſuum.

Si comparere nolit delinquens; dimidia pars Nemdæ & dimidia Prætoris & civitatis, causam actoris & rei cognoscet. Si reus vel absolvatur vel damnetur, de eo lex ante dicta sit. 1. §. Si quis fœminæ violentum stuprum intentet, & illa illum hoc ipso occidat, sex viris testantibus; impunè sit. 2. §. Si quis cum fœmina per vim ab ipso rapta aufugiat; legitimè convictus, nunquam restituetur in integrum, nisi raptæ maritus, si nupta sit, vel propinqui ejus, si innupta sit, pro ea intercedant.

(c. 12. eod. tt.

XII. CAP.

Si quis alteri struat insidias in viâ ad templum vel curiam ferente, sive eò proficiscatur, sive inde discedat.

Si quis desideat in via curiæ, templi, vel alibi, animo insidiandi alii, sive in curiam aut templum se conferre, sive inde discedere velit, atque occidere, vulnerare aut percutere alium quærat, & effectui det; violavit juramentum regium: Nisi ex subita dissensione ortum sit.

XIII. CAP.

Si rixa oriatur inter viros in viâ ad templum vel curiam ferente.

Si rixa nascatur inter quosdam in via curiæ vel templi, & quidem subitò, non ex longâ invidiâ vel odio, & alter alterum occidat; ibi non est violatum juramentum regium. 1. §. Si quis alteri insidias struat in via curiæ, templi, vel alio loco, nec tamen possit ei damnum inferre, etiamsi velit; minæ vacant mulctâ. Si etiam disse-cet vestes aut arma ejus (non læso corpore) vel jaciat quid in eum, vel trudat eum, sex viris testibus; mulctetur XL. marcis tripartiendis, vel purget se sex virorum juramento. 2. §. Si tale quid contingat domi, vel in via, ubi juramentum regium violari potest, etiamsi non vulneret aliquem, vel damnum inferat, de quo ante dictum est; mulctetur XL. marcis. Eadem lex sit de frangente januam post aliquem, nec livor aut cruor interveniat.

Sup. c. 4. §. 1. h. t.

XIV. CAP.

De pace in æde sacrâ vel curiâ.

Si quis occidat alium, percutiat aut pungat, vel cædat ad cruorem vel livorem usque in æde sacra aut curia; violatum est juramentum regium: nisi ex repentina dissensione ortum sit. Et hoc XII. viri juramento suo asserent, num ex inveterato odio, vel repentina dissensione ortum sit †.

† *Synops. Iur. Diss. 29. qu. 36. sup. c. 12. 13. h. t.*

XV. CAP.

Si quis repellat alium à legitima actione.

Si quis repellat alium à legitima actione, nec percussio, livor aut cruor intervenerit; mulctetur XL. marcis tripartiendis, nec violatum sit juramentum regium. XII. autem viri cognoscent, num hoc ex necessitate vel sponte fecerit, vel cur illum repulerit à curi e citatione. 1. §. Si quis alium interficiat, vulneret vel percutiat ad livorem usque in via ad curiam, quando citatus est, vel in regressu, ideò quod citarat eum; tunc violavit juramentum regium. *S*i insidiæ ei struantur in via, nec tamen cædes aut vulneratio subsecuta est; minas nudas non sequitur mulcta (*d*).

(*d*) *Vide limitationem in fin. c. 13.* Hogm. *ll.*

XVI. *CAP.*

Si quis ducat alium ad trabem vel alium locum, præcidat ei vi manum aut pedem, vel oculum effodiat, amputet ei unam aurem, nasum vel linguam.

Si quis alium ducat ad trabem vel alium locum, amputet per vim ei unam manum, aut pedem, eruat ei oculum, præcidat unam aurem, membrum genitale vel nasum, & in ipso facinore deprehendatur; membrum (*e*) pro membro reddat, si sex virorum testimonium adsit: vel purget se XII. virorum juramento. *S*i evadat; jure convincatur, ut modò dictum est. 1. §. Si actor mulctas capere velit; reus pro singulis membris mulctabitur XL. marcis tripartiendis: nec violatum est juramentum regium. Si cui duo membra amputentur; pro plena violatione juramenti regii mulcta, nec alia erit: vel pœna capitalis erit. eadem lex erit de lingua, & membro genitali. 2. §. Si in rixa hoc contigerit, & duo testes adsint; pro singulis membris reus mulctabitur XX. marcis actori, & Regi ac civitati XX. marcis; vel purget se sex virorum juramento. Si mulctam solvere nequeat; reddat membrum pro membro: Et ita sit

in

in omnibus membris amputatis. 3.§. Si etiam genitalia vel linguam viro exſecuerit; mulctetur LXXX. marcis, XL. actori, Regi & civitati XL, ſi actor mulctam capere velit: vel reus reddat membrum pro membro. Si mors exſectionem ſubſequatur; reus jure plectatur, ut in tit, de Vulneratione Voluntaria (f) determinatum eſt.

(e) *Vid. Not. ad c. 39. h. t. ll.*
(f) *cap. 3. & 14. de vulnerat. volunt.*

XVII. CAP.

Si quis vindictam uſurpet in alium poſt Regis ſententiam.

Si quis vindicta utatur in alium poſt Regis ſententiam, occidat, aut plenum vulnus infligat, vel vindictam ſumat in alium, quod contra eum teſtatus ſit in Regis judicio, vel poſtquam mulctam ei ſolverit, & litem compoſuerit, vel bona ſua paterna legitimè contra eum defenderit: Si ea de cauſa vindictam exerceat; & ipſe & omnes qui cum eo erant, violarunt juramentum regium. & XII. virorum Nemda cognoſcet, num ideo ultione uſus ſit, vel alia diſſenſio intervenerit.

XVIII. *CAP.*

Si quis intret domum alterius, & violenter eum educat domo ſuâ.

Si quis ingrediatur alterius domum, & eum vi extrahat de domo ſua, etiamſi non diffringat eam, vel percutiat aliquem ibi, ſed egreſſus domo, liget eum plenis vinculis, occidat, vulneret aut pungat eum, vel in quemcunque carcerem eum detrudat; violavit juramentum regium. Niſi ſit Regis vel judicii Regii mandatum, vel veri furti arguatur , vel inveſtigatione verus fur extrahatur domo.

XIX. *CAP.*

Si maritus caſtiget aut verberet uxorem ſuam ad necem usque , vel uxor caſu occidat maritum ſuum.

Si maritus percutiat uxorem ſuam nimis duriter, ita ut inde moriatur; ſed contra voluntatem ejus; mulctabitur, ut poſtea deciditur, pro homicidio: nec capite plectetur; & excludetur o-

mni hæreditate, ex ejus bonis mobilibus aliàs ſperanda, & dimidia parte, quæ ipſi debebatur cum uxore, jure conjugii. Uxoris verò hæredes mulctas pro ea capient ex viri bonis: nec unquam illi ſuccedent, nec qui ſunt ex ejus genere. 1. §. Niſi liberos ex illa uxore ſusceperit; illi ſuccedent in matris ſuæ bona: & proximi matris cognati in ſuam tutelam eos eorumque bona recipient, donec ad juſtam ætatem & intellectum pervenerint. Si utrinsque liberi non exſtent; materni hæredes materna bona capient: Nemo enim debet ejus perſonæ hæreditatem adire, quam interfecit. Si etiam liberi exſtantes moriantur, nec poſt ſe relinquerint liberos; hæredes ex ejus genere qui damnum paſſus eſt, erunt. 2. §. Eadem ratio erit, ſi uxor occidat maritum ſuum; tunc illa marito ſuccedere nequit, nec donum ſuum matutinale capere poteſt, nec ullum tale jus, in quod deſponſata erat: Niſi ſuscepti ex ejus matrimonio liberi ſuperſint, hi patri ſuo ſuccedent, & proximi patris agnati liberos ſub ſuâ tutelâ habebunt cum omnibus eorum bonis, donec ad legitimam ætatem pervenerint. Si liberi non exſtent; proximi patris agnati ejus hæredes ſunt & omnis ejus juris. 3. §. Si verò alter alterum caſu occidat; mulctabitur, ut deciditur in titulo de Homicidio caſuali, & omni hæreditate alterutrius excidet.

XX. *CAP.*

*S*i filius nimis caſtigetur, ita ut inde moriatur.

Si filius aut filia nimis duriter caſtigetur aut verberetur, ita ut inde moriatur; pro eo mulctæ virilis (Mansboth Sveticè) dimidium ſolvetur, & quidem actori xxx. marcæ, & Regi ac civitati xxx. marcæ, nec vita reo adimetur: homicida verò nunquam occiſi hæres erit, ſive caſu ſive voluntate ipſum occiderit. 1. §. Niſi mater in ſomno oppreſſerit infantem ſuum; tunc non capite plecti meretur, ſed diſciplinam eccleſiaſticam & pœnitentiam ſubire debet, ſecundum jus eccleſiaſticum, nec aliam mulctam pendere tenetur. *S*i hæredes paterni eam accuſare velint, quaſi ex propoſito oppreſſiſſet infantem ſuum; purgabit ſe ſex virorum juramento, quod nunquam volens eum oppreſſerit. Si tale juramentum præſtare nequeat; hoc ſtabit duodecim virorum cognitione, ſive eam damnare, ſive abſolvere velint. 2. §. Quando iterum nubit, caveat ſibi ne infantem collocet in lecto prope vitricum (*g*): Si in lecto moria-

moriatur prope illum; illa excludetur hæreditate. Si verò contendant inter se paterni hæredes infantis, & affirment infantem esse mortuum in utriusque lecto, illi verò negent; hoc XII. virorum cognitione stabit: si eos absolvant, absoluti sint: si condemnent; mulctentur, ut ante dictum est, & excidant hæreditate. 3 §. Si infantem casu occidant, vel ipse pater; mulcta sit in homicidio casuali determinata, & priventur hæreditate, quæ alterutri aliàs deberetur; & infantis bona proximi ejus agnati hæreditate capiant, vel fratres & sorores ejus, si exstent. Si liberi adhuc impuberes sint; curent & administrent proximi liberorum agnati eorum bona, donec ad pubertatem perveniant, nec pater aut mater. 4. § Si alteruter eorum, velut vitricus, in culpa mortis infantis sit, ita ut in lecto prope ipsum non moreretur, vel in utriusque lecto, & sic determinetur secundum legem & cognitionem, prout factum acciderit; hæres sit mater, si non in culpa sit. Si iste infans habeat etiam fratres & sorores; in dimidiam hæreditatis partem cum matre succedant.

(g) *c. 23. §. 2. h. t OL.*

XXI. CAP.

Si quis arguatur furti vel alterius delicti.

Si quis insimuletur furti, vel cujuscunque delicti, & comprehendatur, vinciatur ac ligetur non convictus, nec in manifesto facinore deprehensus, absque Regis judicio vel illorum qui Regis judicium habent; quicunque hoc facit, & omnes cum eo, violarunt juramentum regium: Quilibet enim pace & securitate in suis bonis, & speciatim in corpore suo frui debet.

XXII. CAP.

Si quis jubeat alium occidi, vel aliud facinus pro se perpetrari.

Si quis conducat alium, vel paterfamilias jubeat ministrum suum aliquem occidere, vulnerare, percutere ad livorem vel cruorem usque; quicquid ille in tali casu facit, vel in insidiis, vel invasione violenta alterius domus, vel quocunque modo; tam conducens (h) & jubens, quàm faciens reus erit, si sex virorum testimonium adsit, nec rei se purgare possint XII. virorum juramento.

(h) *Diss. 18. qu. 3. S. I.*

XXIII. CAP.

De rapinâ, & rapientis pœnâ.

Quis-

Quisquis rapit ab alio in urbe ad unius oræ pretium, vel in suburbio australi vel septentrionali, vel intra urbis limites, postquam signum vespertinum campanâ datum est,& in ipso actu deprehenditur, sex viris testibus;capite plectatur, nec ulli redemptionis pretio locus sit in hoc casu. Si non adsint testes ;XII. virorum cognitioni committetur: si hi eum absolvant,absolutus sit: si damnent, decollabitur. 1. § Si quis interdiu rapiat in publica platea ad unius oræ pretium, duobus viris testantibus ;XX. marcis tripartiendis mulctabitur, vel purgabit se sex virorum juramento: si mulctam solvere nequeat, præcidetur ipsi manus. 2. §. Si quis ad dimidiæ marcæ pretium prædetur interdiu, & adsint testes; capite plectatur *(i)*, nec mulctæ locus sit. 3. §. Si quis in publico foro prædetur trientis pretium ; novem marcis mulctetur, si duo testes adsint, vel purget se sex virorum juramento. Si non possit pendere mulctam;flagelletur, nisi actor pro eo intercedat.

(i) *Confer Dist. 25. qu. 2. S. I.*

XXIV. CAP.

Si quis lateat in silva, navi, vel alibi, ut rapinam exerceat.

Si quis lateat in silvâ, navi,vel alibi,ut prædetur, & deprehendatur in isto facinore; in judicium curiale deducetur, ibique duodecim viri nominabuntur, qui illum vel absolvant vel damnēt, si sex virorum testimonia non adsint. Si damnetur insimulatus prædationis;decollabitur,nec mulctæ hîc locus erit. Si eum absolvant; mulctetur XL. marcis, qui insontem vinciebat & ligabat, vel vi abducebat, & quotcunque sint, singuli XL. marcis mulctabuntur qui insontem ligabant : non tamen violarunt juramentum regium.

XXV. *CAP.*

Si quis ingrediatur alterius hortos clausos, & vi rapiat ibi fructus, vel aliud quodcunque,

Si quis ingrediatur alterius hortos clausos,& poma vel alios fructus vi abripiat: paterfamilias autem vel uxor ejus supervenientes hoc impedire velint, atque sic percussio interveniat, & paterfamilias vel ejus familia occidatur, vulneretur,vel ad cruorem

usque

usque cædatur, ibi violatum est juramentum regium. Si verò ingressus hortum vel ejus socii dictis modis excipiantur, impune erit.

XXVI. *CAP.*

Quomodò violati juramenti regii delictum sit plectendum, & noxa, quæ committitur vel in vulneratione, vel homicidio, vel cruentatione, quando violatur juramentum regium.

Quicunque committit aliquid ex antedictis, sive in domus, sive ædis sacræ, sive latrinæ, sive balnei, sive aliorum locorum prius determinatorum pace violata, ut si quis occidat, feriat aut pungat, vulneret, percutiat tibias, vel quicquid fit; hæc omnia mulctabuntur, ut determinatum est in titulis de Homicidio & Vulneratione:& postea pendentur mulctæ pro violato juramento regio, actori LX. marcæ, Regi LX. marcæ & Civitati XL. marcæ; reus autem non proscribetur, nec bona ejus confiscabuntur. Si mulctam solvere nequeat, decollabitur. Si damnatus ad XL. marcarum mulctam in hoc titulo, solvere eam nequeat, ei amputetur dextra manus.

XXVII. CAP.

De viro faciente conspirationem contra Prætorem, Consules & Senatores

Anno, à nato Christo, MCCCLVII. die S. Catharinæ, sanciebat Rex Ericus Magni & universus R. Senatus Stocholmiæ: Ut, si quis cætum & conspirationem faceret adversus Prætorem, Consules & Senatores, vel unum eorum, intra vel extra urbem, capite plecteretur, etiamsi ipsum facinus homicidii, vulnerationis, cruoris, livoris, vestium lacerationis, vel ædium effractionis non intervenerit, si sex virorum testimonio hoc probari possit: vel insimulatus se XII. virorum juramento purgare queat. I. §. Si verò committat reus homicidium, vulnerationem, vestimenti lacerationem, vel domus effractionem; capite & bonorum publicatione plectatur: Rex capiat bona, & actor vitam, sex testibus præsenti-

bus: vel reus purget se duodecim virorum juramento. Et omnes, qui in cætu & comitatu cum principali authore, & cum eodem proposito, fuerunt, eidem pœnæ obnoxii erunt: & in omnes eorum receptatores aut defensores Regis ira & vindicta exercebitur.

Confer c. 26. RB. St. c. 35. Eds. ll.



TITULUS X.

DE GRAVIORIBUS VEL ATROCIBUS CRIMINIBUS.

1. *Si vir per latrocinium trucidet virum aut fœminam.*
2. *Si pater aut mater trucidet infantem casu vel proposito.*
3. *Si vir ducat duas legitimè nuptas uxores, vel fœmina duobus viris nubat.*
4. *Si vir aut fœmina conficiatur incantationibus.*
5. *Si vir aut fœmina interficiat privignum suum.*
6. *Quisquis excitat exercitum adversus Regem vel regni Dominum.*
7. *Si quis ducat in patriam suam extraneum exercitum, & inimica arma gerat contra verum suum Dominum.*
8. *Si minister verum suum dominum, cui maximè fidem debet, interficiat, vel uxor maritum suum.*
9. *Si quis ignem immittat alterius ædibus, & quidem datâ operâ, animo comburendi domos & patremfamilias.*
10. *Quomodo quis damnari, vel absolvi debeat à tali incendio.*
11. *Si fœmina aut vir toxico aut arte malefica conficere alium tentet, & in ipso actu deprehendatur.*

I. CAP.

Si vir per latrocinium trucidet virum aut fœminam.

SI vir aut fœmina per latrocinium interficiat virum aut fœminam, vel si quis alium trucidet, & occultet & portet in absconditum locum; vir rotæ, sed fœmina rogi supplicio afficietur, si sex viri testes adsint: vel purget se XII. virorum juramento, quos prætor & Senatores nominabunt. Si eum absolvant, absolutus sit: si damnent, damnatus sit.

II. CAP.

II. CAP.

Si pater aut mater occidat infantē casu vel proposito.

Si vir aut mulier occidat aut trucidet filium vel infantem suum, nondum baptizatum aut baptizatum, vel filius patrem aut matrem suam: quicunque hoc facit, vir aut fœmina; vir rotæ, & fœmina rogi pœna plectetur, si manifestum sit, vel sex viri illud conspexerint. Quicunque ergo hujus criminis insimulatur, nec testibus convincitur; purget se XII. virorum juramento, & singuli jurent, prælegentibus jusjurandum prætore & senatoribus. Si absolvant eum, absolutus sit: si damnent, damnatus esto. 1 §. Quicunque trucidavit vel ex proposito occidit; carebit defuncti hæreditate, atque ita consanguinei ejus: Nemini enim licet alium spe lucri hæreditarii occidere. 2. § Si casu contigerit; mulctetur, ut in tit de Homicidio casuali deciditur: id XII virorum Nemda superveniens, cognoscet, sive casu, sive proposito factum sit.

III. CAP.

Si vir ducat duas legitimè nuptas uxores, vel fœmina duobus viris nubat.

Si quis discedat à legitimè sibi nupta uxore, & ducat alterius legitimam uxorem, eamq; usurpet vel cum eâ concumbat, vivente adhuc priore legitimâ suâ uxore: Si hoc evidenter sex virorum testimonio, secundum jus Ecclesiasticum, probetur; vir decollabitur, & fœmina comburetur, ejusdem facinoris rea. Si non plena probatio, vel manifesti testes adsint, absolventur.

IV. CAP.

Si vir aut fœmina conficiatur incantationibus.

Si vir virum aut fœminam, vel fœmina virum aut fœminam magiâ, maleficio aut veneno conficiat, ita ut mors subsequatur, vir rotæ supplicio afficietur, fœmina autem comburetur, si sex virorum testimonium adsit: vel purget se duodecim virorum juramento. Si deficiat in juramento; reus sit facinoris.

Confer inf. c. 11. h. t. Synops. Iur. Diss. 29. Qu. 35.

V. CAP.

Si vir aut fœmina interficiat privignum suum.

Si vir aut mulier interficiat privignum suum, animo possidendi ejus bona hæreditaria; eadem lex sit de vita eorum, & hæreditate, quæ antea expressa est.

VI. CAP.

Quisquis excitat exercitum adversus Regem, vel regni Dominum.

Quisquis excitat exercitum contra Regem vel regni Dominum, vel ei insidiatur, animo capiendi illum, vel occidendi, vel vim faciendi, vel injuriam inferendi ei literis, consilio, facto, vel auxilio; istius hominis omnia bona, tam immobilia, quàm mobilia confiscabuntur; ipse verò capite plectetur, si comprehendatur. 1. §. Si ejus criminis arguatur, nec in manifesto actu deprehendatur; stabit hoc cognitione Regii Judicii: quod si damnet eum, omnibus ante dictis punietur: si absolvat, absolutus sit.

Confer l. 4. D. ad leg. Iul. Maiest. l. 5. c. eod.

VII. CAP.

Si quis ducat in patriam suam extraneum exercitum, & inimica arma gerat contra verum suum dominũ.

Si quis ducat extraneum exercitum in patriam suam, & gestet inversa scuta, vel inimica arma adversus verum suum dominum, & populetur propriam suam patriam, nisi sequatur Regem, rectè regno admotum; ipse & omnes qui cum eo erant vitâ & bonis sub Coronam in perpetuum publicandis plectentur. 1. §. Si quis insimuletur hujus criminis, nec manifestum sit; Regium Judicium eum vel absolvet, vel damnabit. Si damnetur, vitâ & bonis privabitur.

art. 10. Privil. Nobil.

VIII. CAP.

Si minister verum suum dominum, cui maximè fidem debet, interficiat, vel uxor maritum suum.

Si minister dominum suum, cui fidelitate obligatus est, vel uxor maritum suum occidat, & in recenti facto deprehendatur; vir rotæ pœna, fæmina rogi supplicio plectetur, & omnia eorum immobilia in tres partes actori, Regi & civitati dividentur. Insimulati hujus facinoris vir aut fœmina, nec coram deprehensi, aut sex testibus convicti, purgent se XII. virorum juramento: si absolvantur, sint absoluti: si deficiant in juramento; vita & bonis, ut ante dictum est, plectantur. 1. § Si homicida dicat, hoc casu non voluntate accidisse, veris hæredibus dupli mulctam solvet, nec capite plectetur: & Regi ac Civitati legitimam mulctam pendet, ut in titulo de Homicidio deciditur. XII. autem viri in judicio attestabuntur cum

cum ſuo juramento, num caſuale aut voluntarium homicidium fuerit. *c.* 10. *LL. h. t.*

IX. CAP.

Si quis ignem immittat alterius ædibus & quidem datâ operâ, animo comburendi domos & patremfamilias.

Si quis ignem immittat,& quidem ſtudio, alterius ædibus, animo comburendi domos & patremfamilias, incendioque perdat unam vel plures domos,& deprehendatur in flagranti crimine; rogi pœnâ plectetur, & omnia ejus bona in tres partes inter actorem, Regem & civitatem dividentur: ita tamen ut civitas reſarciat prius incendii damnum paſſo, & poſtea quod reliquum eſt, dividatur. Quod ſi iſtæc non ſufficiant damno reſarciendo; tamen plenam refuſionem damnum paſſus pro ſuo detrimento habebit,& Rex ac civitas ſuis partibus carebunt.

X. CAP.

Quomodo quis damnari vel abſolvi debeat à tali incendio.

Quicunque hujus criminis inſimulatur, nec in ipſo actu deprehenditur, vel ſex virorum teſtimonio convincitur; purget ſe XII. virorum juramento, utrimque à parte rei & actoris ſtantium. Si eum abſolvant, abſolutus ſit: ſi damnent, cum eo agatur,ut ante dictum eſt.

XI. CAP.

Si fœmina aut vir toxico aut arte malefica alium conficere tentet,& in ipſo actu deprehēdatur.

Si fœmina aut vir toxico vel arte maleficâ in alium uti velit,& in ipſa re deprehendatur; illa vel ille cum maleficio comprehendetur & in curiam deducetur: & XII. viri juratò teſtabuntur, num illa vel ille toxico vel arte malefica uſus ſit, vel non: ſi eum abſolvant, abſolutus ſit ille vel illa: ſi damnent, mulctentur ſexaginta marcis tripartiendis. Si mulctam ſolvere nequeant: ille vel illa ad rogum damnabitur, & hæredes eorum bona capient. 1. §. Si verò arte ſua malefica alicujus corpori aut vitæ nocuerint, ſive conſilio,ſive ipſo facto: XII; virorum Nemda hoc cognoſcet: quem abſolverint,abſolutus ſit:quem damnarint,capite plectatur,ut ante dictum eſt,& bona ejus publicanda in tres partes dividentur. 2. §.

 Si

Si ejus facinoris arguatur vir aut mulier, nec in ipso actu deprehendatur; XII. virorum cognitione, ex utriusque actoris & rei parte, stabit. Si absolvatur; mulctetur XL marcis qui eum istius facinoris arguebat. Eadem lex sit in omnibus gravioribus criminibus, ubi quis alium criminis arguens, eum convincere non possit. Si verò mulctam pendere nequeat, flagelletur, & relegetur ex urbe: si redeat in urbem, decolletur.

TITULUS XI.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO.

1. *De homicidio voluntario, & de homicido ex necessitate, quomodo illud mulctandum sit.*
2. *Quomodo quis aliũ homicidii convincere, vel insimulatus abeo se purgare debeat.*
3. Si *homicida moriatur, antequam convictus sit.*
4. *Quomodo mulctæ sint præstandæ post mortuum.*
5. Si *homicida moriatur, postquam convictus est.*
6. *Si fœmina occidat virum.*
7. *Si sacerdos aut clericus occidat laicum.*
8. *Si laicus occidat Presbyterum aut clericum.*
9. *Si laicus velit homicidam defendere.*
10. *Si qui abripiant homicidam ex manibus capientium eum.*
11. *Si qui testari velint homicidium compositum & mulctatum esse.*
12. *Si fœmina prægnans occidatur.*
13. *Si defuncti hæres interficiat homicidam.*
14. *Si Rex edicat expeditionem militarem.*

I. CAP.

De homicidio voluntario, & de homicidio ex necessitate, quomodo illud mulctandum sit.

SI quis alium extra necessitatem occidat, & in ipso facto deprehendatur, vitam pro vita reddat, nec mulcta hîc locum habeat. Et quotcunque congregati sunt in cœtu & comitatu, quando homicidium committitur; omnes (*a*) eidem pœnæ obnoxii sunt. 1. §. Si quis homicidium ob necessariam corporis sui defensionem committat; non capitis pœna afficietur, sed mulctabitur LXXX. marcis, ex gratia Prætoris & Senatorum, quæ in tres partes dividentur. 2. §. Si ita fieri possit, ut quis interficiat alium & aufugiat, nec in ipso facinore deprehensus sit; actori mulctam LX. marcarum, Regi XXX. marcarum & civitati XXX. marcarum pendat: & ad sex hebdomadas confugiat in cænobium aut templum, nec in alium locum, & postea redeat in urbem & repræsentet mulctam; nec actor potestatem habeat eum ulciscendi. Si mulctam accipere nolit; ejus pars in sequestro ponatur, & Rex ei salvum conductum concedat, & mulcta interim per annum & diem stet in sequestro; postea Regis prætor eam, velut caducam, Fisco applicet.

(*a*) *Vid. Synops. Iur. Diss. 29. qu. 12. 13.*

II. CAP.

II. CAP.

Quomodo quis alium homicidii convincere, vel insimulatus ab eo se purgare debeat.

Si quis occidatur, & nemo confiteri homicidium velit: hæredes autem alicui culpam ejus impingant; illum convincent sex viris, vel insimulatus homicidii purgabit se duodecim virorum juramento. 1. §. Si quis comprehendatur ob homicidium, postquàm illud commissum est, & aliquis eum convincere hujus criminis velit, ille verò neget se unquam hoc commisisse: alter autem eum convincere testibus possit; convictus capite plectatur. Si non convincere possit; mulctetur XL. marcis tripartiendis, quod insontem vi abducebat. Si etiam vulneratus aut percussus sit; mulctetur, ut in tit. de Vulneratione decisum est, & simul XL. marcis. Si etiam illum domo sua vel aliena extraxerint; violarunt juramentum regium.

III. CAP.

Si homicida moriatur, antequam convictus sit.

Si homicida moriatur prius quàm homicidii convictus sit, & hoc hæredes agnoscant; pro homicidio mulctam tripartiendam pendent. Si verò hoc inficientur aut dissimulent; stabit illud duodecim virorum cognitione: Si eum absolvant, absolutus sit: si eum damnent, mulctam hæredes solvent, ut ante dictum est.

IV. CAP.

Quomodo mulctæ sint præstandæ post mortuum.

Si homicida moriatur, postquam legitimè convictus est, & antequam dies ejus, ab actore ei dicti, finiti sint; hæredes ejus pro homicidio illius mulctam tripatitam solvent, ut ante dictũ est.

V. CAP.

Si homicida moriatur postquam convictus est.

Omne

Omne quod mulctæ nomine præstari debet pro patris,vel matris,vel aliorum consanguineorum delicto; hoc solvendum est ex ejus parte qui deliquit,sive in re immobili,sive mobili consistat.Si hæc non sufficiat; hæredes liberi sunt ab actore, Rege & Civitate: Nemo enim pro alterius delicto mulctari debet, ex quo nihil lucratus est vel participavit.

l. 155. de reg. jur.

VI. *CAP.*

Si fœmina occidat virum.

Si mulier interficiat virum, & in recenti facto vel intra diem naturalem deprehendatur; illa in judicium curiale deducetur, & judicabitur ut alius homicida. Postea actor potestatem habebit, utrum velit, vel mulctas capiendi, vel capitis supplicio submittendi.

VII. *CAP.*

Si sacerdos aut clericus occidat laicũ.

Si sacerdos aut clericus interficiat laicum ;Episcopus (*b*) mulctæ partem Regi debitam capiat, & hæredes mortui actori debitam mulctæ portionem, & civitas tertiam suam partem accipient.

(*b*) *non hodie. V.d. ad Rom. c. 13. 1.*

VIII. CAP.

Si laicus occidat presbyterum aut clericum.

Si laicus interficiat sacerdotem vel clericum ; Rex suam mulctam, actor suam mulctam, & Civitas suam mulctam capiet.

IX. CAP.

Si laicus velit homicidam defendere.

Si qui homicidam tueri velint contra capturos eum, sive domi suæ,sive alibi; dupli pœna erit in illos,quod faciunt qui illum defensum eunt, & impunè quod patiuntur, sive sit homicidium,sive vulneratio,vel quicquid sit.

X. *CAP.*

Si quis testari velit,homicidium compositum & mulctatum esse.

Si

Si qui abripiant homicidam ex manibus capientium illum; violarunt juramentum regium. Eadem lex erit de omnibus aliis, ubi qui rapiunt captum à capientibus.

XI. CAP.

Si quis teſtari velit, homicidium compoſitum & mulctatum eſſe.

Si quis teſtari velit, homicidium compoſitum & mulctatum eſſe, & tamen actor urgeat mulctam ſibi debitam, vel Rex vel civitas: alter verò dicat mulctam ſolutam eſſe; hoc probare tenetur civitatis literis & ſigillo, num ſoluta ſit, vel non. 1. §. Si quis veniat in judicium curiale, & confiteatur (*c*) crimen capitale; non neceſſe eſt adducere teſtes in hanc rem: In tantum enim eſt nota cauſa, in quantum certis documentis diſcuſſa, vel teſtibus probata eſt.

(c) *Teſtibus haud opus eſt, ubi res confeſſa relucet. Sed confer Regulas Iudicum.*

XII. CAP.

Si fœmina prægnans occidatur.

Si occidatur caſu mulier uterum ex infante concepto geſtans (*d*); mulcta dupli erit. ex illâ mulctâ mulieris occiſæ hæredes dimidium, & Rex ac civitas dimidium capient. Viginti verò marcarum mulctam pro infante exſtincto mulieris hæredes ſolam capient, ſi ſex virorum, & duarum bonarum uxorum teſtimonium adſit, quæ teſtentur fœtum in ejus utero vivum fuiſſe. Si hoc non adſit, purget ſe reus ſex virorum juramento, infantis cauſâ.

(d) *Vid. c. 13.* Dråp. m. wåd. St.

XIII. *CAP.*

Si defuncti hæres interficiat homicidã.

Si adveniat occiſi hæres & occidat iterum homicidam eodem vel alio die, ex ſubito impetu, extra legitimam ſententiam; ille mulctetur, & diſciplinam eccleſiaſticam ſubeat, ut alii homicidæ. Si non poſſit ſolvere mulctam, capite luat.

XIV. CAP.

Si Rex edicat expeditionem militarem.

Si Rex edicat expeditionem militarem, & navis ſita ſit in legitimo portu, & ſcuta ſtent in puppi: ſique ibi quiſquam occidatur; erit pœna dupli.

TITULUS XII.
DE HOMICIDIO CASUALI.

I. CAP.
Quot ictus cõputãdi sint in una cæde casuali.

Si quis cædere volens virum, atque alium intervenientem cædat, qui inde damnum patiatur; non plures ictus, quàm unus in cæde casuali computari debet.

II. *CAP.*
Si ex una cæde duo vulnera fieri possint.

Si ex una cæde duo vulnera oriri possint in manu vel capite; est maximus casus; & mulcta XL. marcarum pro casuali facto, & XII virorum juramentum, quod casu, non voluntate factum sit Et hoc juramentum præstabitur menstruo spatio post homicidium factum, & à singulis XII. viris seorsim. Non autem accipitur pro casuali homicidio, nisi ambo, & occidens & occisi hæredes affirment casuale fuisse, & ambo jurabunt, ita Deum illis propitiũ fore, ut fuerit casuale, non voluntarium. 1. §. Velut autem nunc statuitur de homicidio casuali, ita pro omnibus aliis casibus in vulneratione quoad livorẽ vel cruorẽ, jurabitur, & à singulis seorsim, pro qualitate jurisjurandi. Et omnes mulctas pro casualibus facinoribus in vulneratione aut homicidio vel quocunq; casu, actor solus capiet.

III. CAP.

Si quis in insidiis latitans feram ferire velit,& interveniat homo, vel si quis jaciat hastam aut lapidem,vel aliam rem trans domum, vel quocunque modo fieri possit, & homo inde occidi queat.

Si quis in insidiis latens feram transfigere velit,& hominem obvium transverberet, ut inde homo moriatur; mulctetur XL. marcis, jurans casu esse factum,ut ante dictum est. Si telum aut glans plumbea prius impingatur trabi aut saxo, & postmodò feriat hominem,qui inde damnum patiatur; mulcta erit XX. marcarum. I. §. Si quis proiiciat hastam aut lapidem, vel aliam quamcunque rem, quâ noceri alicui possit,trans ædes, & obvius inde necem patiatur; mulcta homicidii casualis erit XL. marcarum, & juramentum de eodem. *S*i verò hastæ vel lapidis jactus prius alii loco illidi potest quàm damnum homini faciat; mulcta sit XX.marcarum,cum juramento de casuali homicidio. Si deficiat in jurejurando,nec mulctam solvere possit;lex de eo ante dicta sit.

IV. *CAP.*

Si duo cædant unam arborem , vel saxum volvant.

Si duo cædant unam arborem vel saxum volvant,& uterque inde damnum vel necem accipiat;utrique hoc sit impunè.Si alter accipiat;superstes (*A*) mulctam XII. marcarum præstet, cum juramento de casu: si mulctam pendere nequeat, de eo mulcta sit ante dicta.

(*A*) *quia ejus negligentiâ & culpâ aliquâ hic arguitur.*

V. CAP.

Si puteus sit in oppido,ille puteali tegi & circumvallari debet.

Si puteus in oppido sit,ille puteali tegi & circumvallari debet. Si vir in eum decidat,& necem inde accipiat; possessor putei mulctetur XII. marcis, & juret de homicidio casuali. Si mulctam præstare nequeat ;de eo lex ante dicta sit, in defectu mulctarum. Si fru-

fruantur aut possideant plures puteum; mulctetur ille qui negligit rectè exstruere puteum, non qui exstruit. §. 1. Si homo decidat in pontem, & inde necem accipiat; possessor pontis xx. marcis mulctetur, cum præstito juramento ante dicto. Si plures sint pontis possessores; mulctetur negligens reficere pontem, non is qui reficit. Si deficiat in juramento, lex de eo ante dicta sit.

VI. CAP.

Si quis in arborem sponte ascendat, & inde necem accipiat.

Si quis sponte sua in arborem ascendat, quæcunque sit arbor, atque decidens ex ea, necem accipiat; impunè sit. 1. §. Si quis rogatus ascendat arborem, & decidens moriatur; rogans eum mulctetur xx. marcis, cum juramento ante dicto. 2 §. Si quis arborem ascendat jussus, & decidens necem accipiat; jubens LX. marcis mulctetur, cum juramento de homicidio casuali. Si defuncti hæredes dicant, eum jussum vel rogatum ascendisse, alter verò neget; inficietur cum XII. virorum juramento. Si deficiat in juramento; damnetur in causam principalem, cujus reus est.

VII. CAP.

Si quis decidat arbore vel alia re, & subtus stans inde damnũ vel necẽ patiatur.

Si quis decidat arbore, & necem patiatur sub arbore stans; impunè sit.

VIII. CAP.

Si domus ruat in hominem, vel alia res manu facta.

Si domus ruat in hominem, vel alia res manu facta, & homo inde necem patiatur; mulcta XII. marcarum cum dicto juramento erit: si mulctam solvere nequeat, lex prius dicta in eum statuetur. Si cui etiam mandetur reficere domum suam, & quidem præfixo tempore, & post illud tempus aliquis ruinâ domus opprimatur; homicidium illud tanquam pro voluntario facto habebitur & mulctabitur. Atque sic observetur in omnibus aliis, quæ quis emendare aut reparare jussus, negligat. 1. §. Si architectus, & alii operam ministram ædificandæ domui præbentes, emittant manibus trabem, late-

lateres, perticas, vel quicquid sit, illisque necem inferant homini; mulcta erit XII. marcarum, cum dicto juramento. Si mulctam pendere nequeat; lex de eo prius dicta sit. Si quædam instrumenta, vel alia ædificio necessaria, defuerint domino domus in eo actu, quo vir necem accepit; mulctetur ipse domum ædificari curans, non qui ea admovere debebat, vel tenebat.

IX. CAP.

Si vehes ruat in hominem.

Si vehes, quæcunque fuerit, in hominem ruat; impune fit.

X. CAP.

Si impuber hominem studio occidat.

Si impuber minor XV. annis hominem ex proposito occidat; mulctetur XL. marcis tripartiendis.

XI. CAP.

Si impuber occidat hominem casu.

Si impuber hominem casu occidat; mulctetur XII. marcis. Si etiam impuber minor septem annis interimat hominem, sive casu, sive proposito; mulctabitur octo marcis.

XII. CAP.

Si impuber inficietur homicidium.

Si impuber homicidium inficietur; tam ille, quàm alii, ejus convincetur. Si unus dicat impuberem fuisse, alter neget, duodecim viri cognoscent utrimque.

XIII. CAP.

Si mulier casu occidatur.

Si fœmina casu occidi possit, quæ fertur uterum ex fœtu gestare; infantis agnati facultatem habent testandi cum duarum uxorum testimonio & sex virorum juramento, eam gravidam esse; ita mulcta ejus augetur XII. marcis. 1. §. Et uxor eodem jure utetur in mulctis homicidii casualis, quo vir, sive illa occidat, sive occidatur.

XIV. CAP.

Si vir aut fœmina non compos mentis sit.

Si vir aut fœmina impos mentis sit; propinqui illius vel hujus hoc vicinis & paræcianis indicabunt, & illum vel hanc custodiæ includent. Si verò custodiâ evaserit, & hominem occiderit vel pagum incendio perdiderit; pago mulcta xx. marcarum pro incendio casuali præstabitur, etiamsi pagus & agricola combusti sint. 1. §. Si iste vir aut fœmina aliquem occidere possit; pro homicidio casuali mulcta xx. marcarum erit: illam mulctam hæredes eorum & capient & solvent pro illis. Si non adsint testes denunciationis publicæ, facinus furiosorum pro voluntario (B) habebitur, sive quid faciant, sive patiantur.

(B) *ob neglectam ejus publicationem.*

XV. CAP.

Si pater aut mater infantem suum casu occidat.

Si pater aut mater infantem suum casu interficiat, & uterque adhuc vivat, sique alteruter eorum accuset homicidam; accusatus suppleat homicidii casualis juramentum, & solvat mulctam xx. marcarum: Hoc autem nemo in plus intendet, sive quoad legem, sive mulctam. Si alteruter accusetur ulterius ab altero, liber sit à juramento & mulcta.

XVI. CAP.

Si pecus interficiat hominem.

Si pecus, bos, verres, caper, equus, vel caballus, canis aut quodcunque animal interimat hominem; possessor animalis mulctetur quatuordecim marcis. 1. §. Si quis alat domi feras aut aves, quæ nocere homini possint; ex illorum nocumento dominus æquè atque aliorum animalium universè teneatur. Si inficietur hoc possessor animalium; defuncti hæredes eum facti convincant sex virorum testimonio: vel purget se duodecim virorum juramento. 2. §. Si quodcunque animal vulneret hominem; possessor ejus mulctetur unâ marcâ, si duorum virorum testimonium adsit: vel purget se cum tribus viris.


TITULUS XIII.

DE VULNERATIONE VOLUNTARIA.

1. Si

I. CAP.

Si quis alium vulnerationis convincere velit.



SI quis alium vulnerationis convincere velit; hoc amicis & propinquis significabit, ut & senatoribus, & illis hominem istum monstrabit qui vulneravit eum, nec aliis hoc objiciat: si hoc alii, nec authori vulneris objiciat; eidem mulctæ sit obnoxius (A). 1 §. Porrò notandum est, si quis homicidium committat, vel quodcunque facinorum hîc enumerandorum, inter Pentecosten & Festum S. Ma-

(A) *Calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicii, l. 10. Cod. de calumniat.*

S. Mariæ prius, vel circa Festum Nativitatis Christi, vel quamdiu pax publica indicitur, vel quamdiu Rex in urbe est; hoc omne pœna dupli erit. 1. §. Si quis etiam aliquod facinus committat, cædat, percutiat aut pungat, nec in ipso actu deprehendatur, sed refugium petat in cœnobium aut templum, & deinde post elapsas sex hebdomadas redeat in urbem, nec prius conciliari possit actori, & offerat plenam mulctam actori, Regi & civitati; mulcta ejus accipietur, & salvus conductus ei concedetur, & actori mulcta competens in sequestro ponetur, si eam capere nolit. Si steterit per annum & diem; Regis prætor eam capiet pro translatitia vel caduca pecunia Fisco regio debita.

II. CAP.

Si quis utrumque uni viro vulnus & rapinam inferat.

Si uni viro utrumque, vulnus & rapinam, aliquis faciat; convincatur facinoris sex viris, & pro quovis facinore separatim mulctetur.

III. CAP.

Si viri congredi possint in digladiatione vel alio loco.

Si viri convenire possint in digladiatione vel alio loco iratis animis, & alter alteri plenum vulnus infligat, amputet ei nasum, effodiat oculum, præcidat aurem, manum vel pedem; mulctetur xx. marcis actori, & xx. Regi ac civitati, si duorum virorum testimonium exstet; vel purget se cum sex viris: si mulctam præstare nequeat; membrum pro membro reddat. & talis lex sit de omni alia abscissione membri, si quis mulctam solvere nequeat. 1. §. Si viro duo membra amputentur; erit pœna dupli. Eadem lex sit de lingua & genitalibus, si tale damnum accidat: si non possit solvere mulctam, reddat membrum pro membro: si mors subsequatur, animam pro anima reddat.

IV. CAP.

Si quis præcidat viro pollicem aut calcaneũ.

Si quis amputet viro pollicem vel calcaneum; novem marcis mulctetur pro mutilatione, & duodecim marcis tripartiendis pro

pro vulneratione: quia pollex est instar dimidiæ manus, & calcaneum instar dimidii pedis, si duo viri hoc testari possint, vel purget se cum sex viris. 1. §. Si quis aliquem digitorum, velut proximum pollici amputet; tribus marcis pro mutilatione, & novem marcis pro vulneratione mulctabitur: longissimi digiti præcisi eadem mulcta erit: proximus ei, minor digitus, erit trium marcarum ob mutilationem, & sex marcarum ob vulnerationem: minimus digitus ejusdem mulctæ erit. Eadem lex de digitis pedum & mulctâ corũ erit.

V. CAP.

Si digitus manus aut pedis amputetur viro.

Si quis digitum manus aut pedis alii præcidat; mulctetur sex marcis tripartiendis, & tribus marcis pro mutilatione, soli actori addicendis, si duo testes adsint; vel purget se cum sex viris.

VI. CAP.

Si viro mutiletur manus aut pes.

Si quis amputet alicui manum aut pedem, ita ut inde mutilus reddatur, nec tamen opus habeat scipione, quo se fulciat; novem marcis tripartiendis mulctetur, & tribus marcis pro mutilatione, si testes adsint. 1. §. Si etiam digitus cædatur, ita ut contrahatur intra volam, vel articuli digiti immobiles fiant; eadem sit mulcta. Si quis cædatur in manu, ita ut eâ cibum ori ingerere non possit, vel in pede, ut non possit absque scipione incedere, octodecim marcis tripartiendis mulctetur, & sex marcis pro mutilatione, si duo testes adsint; vel purget se sex viris.

Confer c. 23. Wåd. at Såt. OL.

VII. CAP.

Si plenum vulnus alicui infligatur, nec abscissio membri fiat.

Si alicui plenum vulnus infligatur, quod abscissio membri non sequatur, & si quis cædatur in cute, pectore, vel brachio, superius vel inferius, vel in lumbis vel crure, ita ut ruptio vel luxatio ossium fiat; viginti marcis tripartiendis mulctetur, si duo testes adsint, vel purget se, ut ante dictum est. Eadem lex sit de genis, & capite hominis, vel ubi plenum vulnus intervenit.

VIII. CAP.

Si quis vulneretur in dorſo, mento vel capite, ita ut mutilatio ſequatur.

Si quis cædatur in crure, dorſo vel brachio, ita ut inde contractio vel mutilatio ſubſequatur; mutilationis mulcta ſex marcarum erit, quas capiet vulneratus. Si verò nulla mutilatio vel contractio ſubſequatur, tali mulctæ locus non erit.

IX. CAP.

Si carnis vulnus alicui infligatur, ad livorem vel cruorem aliquis cædatur, vel graviter percutiatur in tibiis, ut tamen plenum vulnus non interveniat.

Si alicui carnis vulnus infligatur, vel ad livorem aut ſanguinem usque cædatur, non tamen plenum vulnus ſubſequatur, vel graviter cædatur in tibiis, ut tamen luxatio oſſium interveniat, & duo teſtes adſint; XII. marcis mulctetur author, vel purget ſe cum ſex viris. De commiſſuris oſſium (velut cubito, poplite, ſpatulis aut talo) eadem lex ſit: niſi brachium aut cubitus ita læſus ſit, ut in manicis geſtari debeat: hoc boni viri inſpicient, num ſit plenum vulnus, aut minus. 1. §. Si quis etiam cædatur ad ſanguinem usque, vel in capite, nec tamen in facie: ſi mutilatio aut vulnus tale ſit, ut tegat pileus & capud illud; mulcta ſit XII. marcarum tripartiendarum, ſi duo teſtes adſint; vel purget ſe, ut prius dictum eſt.

X. CAP.

Si quis ita cædatur vel mutiletur, ut non ſit habilis ad ingrediẽdũ curiã, actionis ſuæ cauſa.

Si poſſit aliquis ita cædi vel mutilari, ut non ſit aptus ingredi judicium curiale, actionis ſuæ inſtituendæ cauſa; prætor, conſules & ſenatores quatuorviros nominabunt & mittent ad inſpiciẽdum vulnus & cognoſcendum, prout hoc juramento ſuo adſerere volunt; & prætor, conſules ac ſenatores pro ratione vulneris mulctas capient.

XI. CAP.

Si dentes excutiantur viro.

Quis-

Quisquis quatuor dentes anteriores alicui excutit, superius vel inferius; pro singulis mulctabitur tribus marcis pro mutilatione, quæ mulcta soli vulnerato dabitur, & novem marcis pro vulnere, actori, Regi & civitati: & pro quolibet dente alio, mulcta erit novem marcarum tripartiendarum pro vulneratione.

XII. CAP.

De alapa & capillatione, & si quis stringat cultrum in alium, nec tamen ei damnum inferat.

Si quis alii impingat colaphum, vel in capillos ejus involet; sex marcis tripartiendis mulctabitur. Si stringat cultrum vel ensem, etiam sex marcis mulctabitur, si testes adsint. si mulctam solvere nequeat, culter per manum ejus transfigetur. si eo vulnus faciat, mulctabitur pro ratione vulnerationis. sed pro colapho & capillatione flagellabitur, si mulctam solvere non possit.

XIII. CAP.

Si quis jaciat in alterius aream vel domum iratâ manu lapidem, truncum, perticam vel aliud quid, nec antea inter illos dissidium fuerit.

Si quis jaciat in alterius ædes irata manu lapidem vel perticam, vel aliud quodcunque, nec antea inter illos dissidium fuerit, & tamen nullum hominem jacta res tetigerit; XII. marcis tripartiendis mulctetur: si vulnus eo alicui fiat; mulcta dimidio major aliâ mulctâ erit.

Confer Diss. 28. *qu.* 1.

XIV. CAP.

Si quis alium dejiciat australi vel boreali ponte in fluvium ex proposito.

Si quis alium dejiciat australi vel boreali ponte in fluvium iratâ manu, mulctetur XL. marcis. Si in vitæ periculum & mortem inciderit, & testibus convincatur, & in ipso actu deprehendatur; vita pro vita reddatur. Si evadat, & postea offerat mulctam;

eam secundum homicidii qualitatem pendat, si actor mulctam accipere velit. 1. §. Si etiam alter alterum præcipitet de utroque ponte, vel domus suæ ponte irata manu; mulctetur xx. marcis. Si vitæ periculum interveniat; mulcta sit ante dicta: & hæ xl. & xx. marcæ in tres partes inter actorem, Regem & civitatem dividentur.

XV. *CAP.*

Si viri convenire possint iratis animis.

Si viri convenire possint iratis animis & factis, & unus accipiat necem, alter vulnus; homicidium punietur, vulnus impunè erit. Si uterque vivat; quisque reus vulneris erit, & mulctabitur, ut lex dicit.

XVI. CAP.

Si quis vulneretur in capite, cute, vel qualecunque vulnus sit, quamdiu illorum cura vel defensio haberi debeat.

Si quis in capite vel cute vulneretur, vel quodcunque sit vulnus, quod possit esse lethiferum; author necis, donec annus & dies finitus sit, à tempore commissi facinoris, curam habebit vulneris. 1. §. Si quis vulneretur vel cædatur, & author hujus facinoris adveniat, & mulctam pendat actori, Regi & civitati; liber est. Si vulneratus moriatur ex vulnere, postquam mulcta soluta est, & priusquam exspiravit annus & dies, à tempore perpetrati facinoris; actor non faciet illum capite plecti, sed legitimas mulctas pro homicidio capiet, deducto prius quod ante solutum est. Deinde jure exigetur residuum, & prætor ac civitas adquiescent mulctæ ante acceptæ, nec eorum mulcta augebitur. Stabit autem xii. virorum cognitione, num ex illo vulnere mortuus sit vulneratus, vel non.

Vid. Synops. jur. Diss. 29. qu. 19.

XVII. CAP.

Si quis propriam suam familiam verberet.

Si quis propriam suam familiam bono fine & ad virtutem castiget, nec vulneratio fiat, vel livor aut cruor; impunè sit. Si vulneratio, livor aut cruor interveniat; mulcta sit secundum æstimationem vulneris.

Diss. 26. qu. 12.

XVIII. CAP.

Si prætori, consuli aut senatori vulnus infligatur.

Omne quod prætori, consulibus senatoribus, & civitatis secretario infertur per homicidium aut vulnerationem, dupli mulcta erit. 1.§. Quicquid noxæ infertur viris, à prætore & senatoribus ad civitatis negotia curanda missis, eidem mulctæ obnoxium erit. De ministris civitatis & curiæ, lex eadem sit.

c. 32. 33. Radst.

XIX. CAP.

Si impuber plenum vulnus aut cruentationem faciat.

Si impuber plenum vulnus aut cruentationem faciat, qui major sit septem & minor quindecim annis; mulctetur tribus marcis pro mutilatione, & sex marcis pro vulneratione, soli actori attribuendis. Si minus damnum faciat, velut in livore aut cruore quodam, sex marcarum mulcta erit. Si impuber septem annorum aut minor vulnus aut cruentationem faciat; impunè erit.

XX. CAP.

De vulneribus mulieri factis.

Omnis abscissio mulieri facta ex proposito & irata manu, mulctabitur ut viro facta; nisi mammæ mulieri abscindantur. Si una illarum abscindatur; dupli mulctæ subjecta erit, ut lingua vel membrum genitale. Si ambæ præcidantur uno ictu; non plus mulctæ pendetur, quam pro unâ. Si abscindantur duobus ictibus; pro utrisque mulctabitur, ac si violatum esset juramentum Regium. Si non possit solvere mulctã; capite plectetur, ac si lingua vel membrum genitale esset. 1.§. Si quis abscindat mammas ex proposito vel irato animo & penso consilio; capitis pœnâ afficietur, nec mulctæ locus erit. Si non apprehendatur aut testibus convincatur; ea lege fruetur, quæ est de linguâ aut genitalibus excisis. Si etiam mulieri mammæ lædantur aut violentur, nec abscindantur; mulcta sit XL. marcarum: & de omnibus hisce mulctis dimidium actor & dimidium Rex & civitas capiant.

XXI. CAP.

Si antiæ virgini aut mulieri præcidantur.

Si antiæ ambæ virgini abſcindantur; pro illis xx. marcarum mulcta erit. Sed dimidio minor mulcta pro mulieris antiis: actor inde tertiam partem capiet, & reliquum mulctæ Rex & civitas. Hæc mulctabuntur ſecundum duorum virorum teſtimonium: vel purgabit ſe ſuſpectus cū ſex virorum juramento. 1. §. Porrò obſervandum eſt, ut quicunque alteri vulnus facit, quod non comitatur abſciſſio membri, nec mulctam ſolvere poteſt; ei manus amputetur: niſi actor pro eo intercedat, & ille tale facinus non antea commiſerit. Satisfaciet tamen Regi & civitati, prout cum eo agere volunt, & ille eorum gratia potiri poteſt.



TITULUS XIV.

DE VULNERATIONE CASUALI.

1. *Si quis alium cædat invitus.*
2. *Si quis alii diſcindat dorſum, brachium, crus, digitum aut pedem.*
3. *Si quis jaciat lapidem, aut projiciat perticam.*
4. *Si quis in caſuali damno verſetur, re aliquā manu temerè emiſſā.*
5. *Si quis cædat alium, vel percutiat tibias, vel proiiciat aliquid.*
6. *Ubi accidit damnum caſuale, re quadam manu temere ejectā, & decidit aliò prius quàm damnum inferat. & ſi impuber damnum caſu faciat.*
7. *Si canis mordeat hominem.*
8. *De juramento ſuper damnum caſuale, & quale illud eſſe debeat.*

I. CAP.

Si quis alium cædat invitus.

SI quis ictum intentet alii, & alius interveniens cædatur contra cædentis voluntatem (a), ita ut abſcindat ei naſum, vel aurem, vel effodiat oculum, vel cædat eum in facie vel collo, ut inde perpetuam deformitatem & mutilationem habeat, abſcindat ei manum vel pedem caſu; mulctabitur tribus marcis pro mutilatione, & ſex marcis pro vulneratione: & actor ſolus capiet omnes illas pro ca-

ſuali

ſuali cæde mulctas. Si aliud plenum vulnus alicui infligat, absque tamen abſciſſione membri; ſex marcis pro vulneratione mulctetur, nec pendat mutilationis mulctam.

(o) *Præcipuum requiſitum damni fortuiti, ut ſit involuntarium & ſine majori culpa auctoris.*

II. CAP.

Si quis diſcindat alii dorſum, brachium, crus, digitum aut pedem.

Si quis alium cædat in dorſo, vel diſcindat brachium vel pedem caſu quodam, ita ut plenum vulnus ſit, absque tamen abſciſione membri, & cæſus inde membrum contractum, aut claudum, aut mutilum accipiat; mulctetur reus tribus marcis pro mutilatione, & ſex marcis pro vulneratione. I. §. Si quis abſcindat alii pollicem, vel calcaneum; mulctetur XII. oris pro mutilatione, & quatuor cum dimidio marcis pro vulneratione. Si quis abſcindat proximum ei digitum, vel longiſſimum digitum; mulctetur unâ marcâ pro mutilatione, & duabus marcis pro vulneratione. Si quis ei proximum vel minimum digitum præcidat; dimidia marca pro mutilatione & una marca pro vulneratione mulctetur. Eadem lex ſit de digitis pedum, ſed dimidio minor mulcta pro mutilatione.

III. CAP.

Si quis jaciat lapidem aut projiciat perticam.

Si quis projiciat lapidem aut perticam, aut quodcunque ſit, & alibi decidat prius quàm damnum faciat, impingat in ſaxum vel domum, vel jaciat quis trans tectum, nec proſpiciat, quò decidat: hoc dicitur, imprudenter & caſu quid emiſſum manu. Si quis ibi obvius accipiat inde damnum, vel quodcunque detrimentum ſit; pro vulneratione mulctâ dimidio minore plectatur, ut dictum eſt: eadem mulcta pro mutilatione & ejus qualitate ſit.

IV. CAP.

Si quis in caſuali damno verſetur, re aliqua temerè manu emiſſa.

Si quis in caſuali damno conſtitutus aliquid temerè manu emittat, quo alteri noceatur, quomodocunque illud accidere poſſit, ut tamen abſciſſio manus non ſequatur, & tamen aliquis percutiatur vel ita tundatur in manu ſua, ut digiti inde contrahantur & in-

nis. Si possessor inficias ire pro suo pecore velit; damnum passus testabitur hoc cum duobus viris, quod ejus pecus illi istud damnum intulerit.

Synops. Iur. Diss. 26. Qu. 9.

VIII. *CAP.*

De juramento super damnum casuale, & quale illud esse debeat.

Quisquis juramentum damni casualis præstare debet pro vulnere, majori aut minori, vel pro mutilatione; cum sex viris jurabit, ut se lege defendat: & mulctam solvet, ut ante dictum est.

TITULUS XV.

DE FURTO.

1. *Si quis à furto se purgare velit.*
2. *Si quis in furto deprehendatur, qui liberos & socium communionis vel communis domus habet.*
3. *Pro quanto furto vir suspendi, vel auribus privari debeat.*
4. *Si fœmina prægnans furetur.*
5. *Si civitatis minister dimittat furem vel alium captum ex carcere.*
6. *De furto omnis generis fructuum in olitorio & hortis nascentium.*
7. *Si quis pomos aut alias arbores fructiferas succidat.*
8. *Si quis furetur lupulum.*
9. *Si quis furetur pisces.*
10. *Si quis insimulet alium corruptæ vel seductæ à se familiæ ad furtum.*
11. *Quomodo inventum in via dividendum sit.*
12. *Si testes habere possit inventor.*
13. *Si quis inveniat alterius pecus.*
14. *Si quis reperiat ejecta in littus maris.*
15. *Si quis reperiat in fundum maris submersa.*
16. *Si quis inveniat anchoram alicujus.*
17. *Quomodo quis à suspicione furti se purgare debeat.*
18. *Si quis capiat alterius equum vel cymbam.*
19. *Si quis dimittat furem, vel pretium redemptionis pro eo capiat.*
20. *Si quis auferat alterius tigna vel trabes.*

I. CAP.

Si quis à furto ſe purgare velit.

SI res furtiva in alicujus manibus deprehendatur, quæ pœnam capitis mereatur, nec ab ea ſe liberare poſſit; ſubeat furis ſupplicium. Si verò furtum à ſe ad alium deducat, & ille confiteatur, qui ejus arguitur; ille furis ſupplicio obnoxius ſit; vel à furto ſe purget. 1. § Si verò fateri nolit, ſed inficietur, & neget ſe rem furtivam vendidiſſe, alter tamen convincat eum teſtibus, mulctetur inficiator XL. marcis tripartiendis, nec pœna furti afficiatur. 2 §. Quicunque emit quadrupedes ungularum ſolidarum aut biſulcarum, factum aurum vel argentum, vel alia manu facta, arma, pannum ſectum, & alia hujusmodi; hæc emet teſtibus adhibitis, qui teſtentur legitimè empta eſſe, ſi res in controverſiam vocetur.

II. CAP.

Si quis in furto deprehendatur, qui liberos & ſocium communionis vel communis domus habet.

SI ille in furto deprehendatur, qui uxorem & liberos, vel ſocium communionis aut communis domus habet; tunc his vita non adimetur, ſi tantum ſit furtum: niſi domi apud illos res furtiva reperiatur, & illi cum ipſo fure ea fruiti ſint (a), vel in conſilio cum ipſo fuerint Si ejus rei inſimulentur, eaque domi eorum inveſtigetur, nec apud eos inveniatur; lege ſe defendent. 1. §. Nemini etiam licebit alium furti inſimulare vel arguere, niſi in ipſo actu deprehendatur, vel ejus domi res furtiva reperiatur. Nemini etiam licebit rem furtivam in alterius ædibus inveſtigare, niſi ad eum provocet cum XL. marcis, vel fiat hoc cum prætoris & ſenatorum venia. Si furti inſimuletur, nec in ipſo actu furandi deprehenſus ſit, vel domo ejus inveſtigatâ ita, ut dictum eſt, ibi res furtiva reperta ſit; mulctam XL. marcarum actori, & XX. marcarum Regi & civitati pendet. Si non poſſit mulctam pendere; jus ejus ſit pro furti probatione.

(a) *Vid. Synops. jur. Diss. 24. qu. 1.*

III. CAP.

III. CAP.

Pro quanto furto fur ſuſpendi, vel auribus privari debeat.

Quisquis pro furto non ante comprehenſus eſt, ſi furetur; pro minori ſumma non debet patibulo affigi (q) quàm pro una marca, vel ejus æſtimatione: Niſi furetur ex templo, vel balneo, vel domino ſuo; tunc ſuſpendatur pro dimidia marca. Et qui furatur ex templo, vel in eo alia maleficia perpetrat, nullum in eo jus aſyli habebit, ſi ibi in facinore deprehendatur. 1. §. Pro dimidia marca fur flagellabitur, & duabus auribus privabitur: Pro tribus oris flagellabitur, & una aure privabitur: pro duabus oris virgis caſtigabitur: & omnes hi ex urbe relegabuntur. Si poſtea redeant in urbem vel intra mænia urbis; capite plectentur. 2. §. De muliere eadem lex erit: Sed pro tanto furto viva defodietur in terram, pro quanto viri ſuſpenduntur.

(b) *De pœna furti hodiè uſitata vide Reſolutionem Regiam de A. 1653.*

IV. CAP.

Si fœmina prægnans furetur.

Si fœmina prægnans furetur, & res furto ablata tantæ ſit æſtimationis, ut mortis ſuplicium mercatur; urbis cuſtodiæ tradetur: & qui eam furti accuſavit, alet illam, donec pariat infantem, & poſtea jus ei dicatur.

V. CAP.

Si civitatis miniſter dimittat furem vel alium captum ex carcere.

Si civitatis miniſter furem vel alium carceri incluſum dimittat ex compedibus; idem in dimittentem ſtatuetur, quod in dimiſſum ſtatuendum eſſet, niſi aufugiſſet.

Præſertim ſi dolo dimittat.

VI. CAP.

De furto omnis generis fructuum in olitorio & hortis.

Si quis furetur poma vel alios fructus ex hortis, olera, vel alias herbas, vel quicquid sit, & apprehendatur vel ipse vel vestis ejus, cum duorum virorum testimonio; mulctetur sex marcis & refusione damni. Si interveniat homicidium, vulneratio aut cruentatio; dupli pœna sit, quod accepit se defendens, & impunè sit, quod fur passus est.

VII. CAP.

Si quis pomos aut alias arbores fructiferas succidat.

Si quis pomos vel alias arbores fructiferas succidat ex hortis; sex marcis mulctabitur. Si quis defringat ramos ex arboribus fructiferis; tribus marcis mulctabitur, si duo testes adsint, vel purgabit se sex viris.

VIII. *CAP.*

Si quis furetur lupulum.

Si quis suffuretur lupulum ex lupuleto domui vicino, vel intra fauces marinas, vel in insulis, vel ubicunque nascitur; ei alligetur res furtiva, & sic ducatur in judicium curiale, & condemnetur pro ratione furti.

IX. CAP.

Si quis furetur pisces.

Si quis suffuretur pisces ex alterius reti, nassâ vel aliis instrumentis piscatoriis, & in ipso actu deprehendatur; mulctabitur sex marcis & refusione damni. 1. §. *S*i furetur rete, vel aliud instrumentum piscatorium, & in eo deprehendatur; à tergo ejus vincietur, & furis pœnam subibit, pro æstimatione rei furtivæ.

X. CAP.

Si quis insimulet alium corruptæ vel seductæ à se familiæ ad furtum.

Si quis arguat alium seductæ à se familiæ ad furtum, & apud ipsum inveniatur vel domi ejus id cujus arguebatur; ut fur plectatur: Si non reperiatur; duodecim viris se purgabit: & alter eum incusans mulctabitur XL marcis, dimidium actori & dimidium Regi ac civitati.

XI. CAP.

XI. CAP.

Quomodo inventum in viâ dividendum sit.

Si quis inveniat deperditum in via, vel extra viam, quicquid sit; publicet statim coram illis qui eum comitantur, deinde coram ecclesia paræciana & in curia. Si adveniat qui rem suam amisit, antequam inventor eam proclamavit, & signo certo rem suam esse probet; adjuret sibi cum duobus viris ipse tertius istam rem, & recipiat eam absque redemptionis pretio. Si non accedat intra annũ & diem ad suum repetendum, quod recognoscit; Rex duas partes rei inventæ capiet, & inventor tertiam partem.

XII. CAP.

Si testes habere possit inventor.

Si qui invenit, testes habere queat, quod legitimè publicavit; adjuret sibi qui amisit cum duobus, & recipiat suum: & tertiam partem inventor habeat, prout quatuor boni viri æstimare possunt. Si provocet ad publicationis testes, & deficiat in eo; mulctetur XL marcis, vel appelletur fur, & ut fur plectatur.

XIII. CAP.

Siquis inveniat alterius pecus

Si quis reperiat alterius pecus, cicurẽ, equum vel equam, bovem, vaccam, ovem vel capram, vel utile pecus; illud adjurabit sibi quod sit illius, & deinde suum recuperabit absq; redemptionis pretio: & alter se purgabit à suspicione per publicationis testes. I. §. Equo vel equâ & bove licebit inventori uti & ágere, ad sua necessaria opera, & cum illis iter facere intra urbem & territorium, in quo ista jumenta inventa sunt, postquam legitima denunciatio de illis inventis facta est, & legitimi testes adhibiti sunt, tam in urbe quàm in præfecturis centenariis extra urbem. Qui verò plaustrum agit cum equis, vel illis utitur ante denunciationem publicam; tribus marcis tripartiendis mulctetur.

XIV. CAP.

Si quis reperiat ejecta in littus maris.

Si quis reperiat ejecta in mare vel littus, ubi verus possessor nõ adest, vel ejus mãdatarius, & ignorat, quò res ejus devenerint: si inventor legitimè hoc publicet; tertiã earũ partẽ, & possessor duas par-

tes habebit. Certo tamen signo & documento, atque duorum virorum testimonio probabit res ejus esse. Si non intra annum & diem repetat amissa, Rex duas illas partes capiet.

Vid. Not. ad hoc & seq. Cap. in c. 36. h. t. LL.

XV. CAP.

Si quis reperiat in fundum maris submersa.

Si quis inveniat & extrahat fundo maris demersa, ut legitimè & in publico hoc denunciet dimidium rerum inventarum habebit: quod Regis erit, si intra annum & diem non legitimè suum recognoscat.

XVI. CAP.

Si quis inveniat anchoram alicujus.

Si quis reperiat anchoram viri, pro labore suo capiat mercedem, ex bonorum virorum æstimatione.

XVII. CAP.

Quomodo quis à suspicione furti se purgare debeat.

Ubicunque quis rem amissam invenit, purgare se à suspicione furti tenetur primò testibus publicæ denuntiationis: deinde qui amisit adjurare sibi debet tanquam rem suam cum duobus viris, & ita suum recipiet. 1. §. Omnes qui juvant & student servare res alterius ab incendii, maris & hostilis exercitus periculo, viri tantò meliores erunt: & tantum capient ex bonis servatis, quantum possessor illis dare, & boni viri eos promeritos esse æstimare possunt.

C. 37. h. t. LL.

XVIII CAP.

Si quis capiat alterius equum vel cymbam.

Si quis absque commodato vel conducto capiat alterius equum vel equam, & illa jumenta agat, vel in illis equitet, vel alia opera cum illis faciat, & possessor superveniens illa jumenta sic usurpata deprehendat; ille qui eis sic absque venia usus est, in judicium territoriale vel curiale ducetur, & possessor potestatem habebit eũ furti vel rapinæ accusandi, ut lex dicit. 1. §. De cymba eadem lex erit. Si vi abducatur & dominus & cymba ejus, & vel includat abducens eum careri, vel verberet; juramentum regium violatur.

XIX. CAP.

XIX. CAP.

Si quis dimittat furem, vel pretium redemptionis pro eo capiat.

Quicunque capit verum furem, & dimittit eum, antequam legitimè convincatur, vel postea; mulctetur XL. marcis Regi & civitati. 1. § Si etiam fur legitimè convincatur furti; mulcta pro eo non est capienda, sed suspendi debet. Si quis pretium redemptionis pro eo capiat; mulctetur illo & XL. marcis, Regi soli pendendis.

XX. CAP.

Si quis auferat alterius tigna vel trabes.

Quicunque alterius tigna vel trabes, perticas, aut asseres, aut ligna, vel quodcunque sit, testibus præsentibus vel non præsentibus, absque possessoris venia aufert; pro singulis mulctabitur unâ marcâ tripartiendâ, si duo testes adsint; vel purgabit se proprio suo juramento: Si plus auferat, mulctabitur XII. marcis, & à furto se purgabit cum sex virorum juramento. Si deficiat in juramento, & solvere mulctam nequeat, flagellabitur. Eadem lex sit de eo, qui alium hujus facti arguit, nec eum convincere potest. 1. §. Illud insuper observandum est, quod ex omnibus sex marcarum & trium marcarum mulctis; unam partem capit actor, alteram Rex, tertiam civitas. Et purgabit se suspectus, vel de quo præsumptio facinoris est, à sex marcarum facinore, si non adsint testes, sex virorum juramento: & pro trium marcarum facinore, trium virorum juramento. Si deficiat in juramento, nec mulctam solvere possit; flagelletur. Eadem lex sit de actore, si non possit alium convincere facinoris, nec mulctam pendere.



TITV-

TITULUS XVI.
DE ALEA

De Alea, & ejus mulctâ.

Quisquis aleâ ludit supra unam marcam; mulctetur tribus marcis tripartiendis, tam victor, quàm victus, si adsint duo testes; vel purget se cum trium virorum juramento. Si neuter horum solvere mulctam possit; flagelletur unâ atque alterâ vice: tertiâ vice proscribatur ex urbe. 1. §. Nulli etiam licebit alea ludere, nisi proprius rerum suarum dominus sit, & habeat, quo ludere queat; si secus faxit, mulctabitur XL. marcis tripartiendis, & restitutione ejus quod victoria adquisivit ab alio. Si solvere mulctam nequeat; flagellabitur, & relegabitur ex urbe. Si postea revertatur in urbem absque Prætoris & Senatorum venia; amputabitur ei manus. Quicunque etiam instituit lusum aleæ cum aliquo, qui nondum est sui juris; senatus de eo agat, quod ipsi fas & æquum videtur. 2. § Si quis lusu aleæ perdat pecuniam in commercia conferendam; recipiet eam dominus pecuniæ ab ipso victore; & ille, qui istam pecuniam alea perdebat, ad laborem pro Rege & civitate condemnabitur: nisi admissi gratia ipsi fiat. Et qui victoria hic sibi adquisivit, quod ad alium pertinebat, duodecim marcis, Regi & civitati addicendis, mulctabitur. Si mulctam solvere nequeat, in illum hoc juris statuetur, de quo ante dictum est. 3. §. Quisquis alea ludit, postquam signum vespertinum campana datum est; mulctabitur tribus marcis, inter Regem & Civitatem partiendis.

Confer. in Synopsi Iur. Dus. 10. qu. 7.



TITULUS
DE JURE ECCLESIASTICO.

18. Si *quis cædat alium festo die, vel si presbyter occidatur aut vulneretur die operario: si fores cœmiterii ruinosæ sint: si furtum in templo committatur.*

19. *De periuris, pro quibus Episcopus mulctam accipit.*

20 *Si Clericus delinquat adversus Laicum & vice versa.*

21. *De pace cum corpore Christi, & si illa violetur.*

22. *De delictis & Nemdis ex dimidia parte Ecclesiæ, & dimidia parte Coronæ.*

I. CAP.

De templorum ædificatione, & de negligentibus operas diurnas.

IN Christum omnes Christiani credere tenentur, quod sit verus Deus, & quod non sint plures Dii, quàm unus Deus. Nemo idola colet, aut in lucis vel saxis fiduciam ponet. Omnes Ecclesiam venerabuntur, in quam singuli Christiani, tam qui vivunt quàm qui mortui sunt, tam qui ingressi sunt mundum, quàm egressi mundo, recepti sunt. Christus præcepit Ecclesiæ templorum ædificationem & decimarum solutionem. Adam (*a*) cum filiis suis primus decimas dedit: & Salomon primus ædificavit templum.

1. § Si Christiani homines Christi mandatum servare, & templum de novo ædificare (*b*) velint; parœciani ad Episcopum se conferent, & parœciæ presbyterum secum habebunt, & ab Episcopo veniam ædificandi templum petent. Episcopus, facultatibus eorum consideratis, veniam exstruendi ædem sacram illis dabit. Inde parœciani domum reversi terminum conventus omnibus terræ possessoribus in ista parœciâ præfigent, qui operas diurnas permittent secundum rusticorum numerum, & vecturas secundum numerum possessionum

Hic Titulus convenit cum Titulo primo LL. Uplandicarum, Westmannicarum, Sudermannicarum & Helsingicarum; & magnâ sui parte cum reliquarum Legum, Gothicarum titulo de Iure Ecclesiastico, ut ex collatione patebit.

(*a*) *Adamum & filios ejus dedisse Decimas, non quidem constat ex S. Scripturâ; sed filios ejus obtulisse Deo de fructu terræ & gregis sui primitias, liquet ex c. 4. Gen. v. 3. 4. haud dubiè ad exemplum patris sui Adami. Sed Abrahamum dedisse decimas de omnibus Sacerdoti Dei Melchisedeco, ante latam à Deo expressam de Decimis legem, constat ex Genes. c. 14. v 20. & Epist. ad Hebr. c. 7. v. 2. ut inde suspicari liceat, forsan pro Adamo intelligendum esse Abrahamum, aut ei substituendum.* Caput 1. *LL.* Suderm. de Iur. Eccl. hîc pro *Adamo* substituit *Abelem*, ejus filium, de quo paulò ante; sed Lex Helsing. h. t. cap. 1. etiam Adamum ponit, ad imitationem Iuris Uplandici, quod plerumque sequitur.

(*b*) *Confer. c. 1. h. t. UL. & SML. WML. HL. eod. tit.*

num terræ. 2. §. Si quis possessorum terræ in ista parœcia negligat templi ædificationem; æditius templi licet ab eo capere pignus, quatuor nummos pro unius diei operâ neglectâ, ita pro alterâ & tertiâ, ut tamen ab aliis impleantur operæ diurnæ: illas mulctas æditius licet impunè & absque sententiâ exigere. Si quis tergiversetur, & negligat operas diurnas plures quàm tres; supplebit eas & cum tribus marcis, quæ cedent Ecclesiæ in structuram ædificii. 3. §. Si quis remissior aut contumax sit in omnibus ad structuram templi & ejus fundum pertinentibus; licet presbytero eum à sacramenti usu præcludere, donec præstet quod debet; nisi parœciani eum judicialiter quærant. 4. §. Quicunque sacerdos ædem sacram de integro exstruit absque Episcopi sua venia, & parœcianorum consensu; novem marcis tripartiendis mulctabitur: tres marcas Episcopus, & tres marcas Ecclesia, & tres marcas parœciani capient.

II. CAP.

De templi fundo & ædibus necessariis.

SI templi structura cum suo fundamento inchoata, & ad pinnaculum usque consummata sit, templum sibi adjunctum fundum habebit, in quo sacerdotis habitatio (c) ac domus ædificetur. Hæc erit cum agro suo marca terræ sub cujusvis centenarii Ecclesia, & dimidia marca terræ sub minori Ecclesia duodenarii. Hi fundi ab omni onere immunes erunt, & pro terrâ illâ parœciani istius ecclesiæ pensionem præstabunt. Si Ecclesia plus terræ, quàm modò expressa est, habeat; illud plenæ pensioni obnoxium erit; nisi Rex super ista terra immunitatem dederit. 1. §. Parœciani exstruent septem legitima ædificia in fundo ecclesiastico sacerdotis, hypocaustum, culinam, horreum, granarium, penuarium, cubiculum & dubile. Si contendant inter se sacerdos & parœciani de necessariis ædificiis, & sacerdos dicat pauciora esse, quàm quibus egeat; ex aliâ parœciâ adsciscent duos sacerdotes & duos agricolas qui rectè inspicere debêt ædificia, & quicquid illi quatuor sentiunt, ei acquiescent sacerdos & parœcinani loci. 2. § Quando sacerdotis ædes benè exstructæ sunt, sacerdos eas benè asservabit, ne corrumpantur incuriâ. Idem eas sartas tectas habebit, januas

t 2 refi-

(c) C. 1. §. *b. t. OL. c.* 2. *SML. c.* 2. *WL. eod.*

reficiet, atque si ædes meliores reddere velit, impensa (*d*) propria faciet. Si domus multa materia opus habeant, parœciani eam advehent, suo victu utentur, & domum ædificabunt. 3. §. Si templi ædes culpâ sacerdotis corruāt; ipse suis expensis eas reficiet, cum mulctâ trium marcarum Ecclesiæ pendendâ. Si parœciani dicant istas ædes presbyteri incuria depravatas esse, presbyter autem neget; cognoscent duo presbyteri, & duo rustici ex aliâ parœcia. 4. §. Nulli presbytero licet Ecclesiæ domum, in quo ille habitat, loco movere & aliò transferre, nisi cum venia Episcopi sui & parœcianorum consensu; aut nisi traducere eam velit propriâ suâ impensâ, non parœcianorum aut Ecclesiæ sumtibus. 5. §. Omnes sacerdotes (*e*) & omnes coloni Ecclesiæ tenentur pontes exstruere, sepes erigere, & vias expurgare, vel ex lege provinciali mulctari debent.

(*d*) *Vid.* R. Carls Hwsesynsordn. 17. 18. 19.

(*e*) *Hodie Sacerdotes ab eo onere immunes sunt ex privilegio R. Vid. Not. ad c.* 3. BB. LL.

III. CAP.

De ornamentis Ecclesiasticis, & campanis.

Ecclesia sua ornamenta (*f*) habebit, quæ sunt casiola & alia indumenta sacerdotalia, item cooperimentum quod insternitur altari, calices, patella, & omnes sacri libri. Nulli sacerdoti licet libros in usum sacrum emere aut describi facere, sine Episcopi sui venia & parœcianorum consensu; nisi proprio suo sumptu hoc fieri velit. 1. §. Templum suas campanas habebit, quibus parœcia in tempore ad sacra convocetur. Si deficiat aliquid in ornamentis Ecclesiæ; Episcopus hoc cum parœcianis in consultationem vocabit, & supplebit quod deficit, & melius reddet ex impensa decimarum ecclesiæ. Atque sic templum benè obseratum & instructum stabit.

(*f*) *C.* 3. *b.* 1. *UL. c.* 2. *§.* 2. *WL. b.* 1. *& c.* 3. *SML. & c.* 3. *eod. HL.*

VI. CAP.

IV. CAP.

De templi consecratione, & viatico Episcopo â rustica plebe obviam mittendo.

Si rustici velint consecrari templum, (g) Episcopo hoc significabunt. Qui eò venire debet ac templum consecrare: ex verbo divino enim vir quasi vivificatur & recreatur Christianus, & ædes sacra fit. Episcopus terminum adventus sui illis præfiget. Parœciani ei collectas in victu (h) consistentes obviam mittent, vel duodecim marcas pecuniæ, quæcunque malint, si plures rustici in paræcia, quàm triginta sint. Si pauciores quàm triginta sint, conferent octo marcas. 1. §. Si Episcopus, provisione victus ipsi facta, accedere non possit; paræciani ad illum se conferunt, & terminum [i] ei præfigent, quo adveniat ad consecrandum templum. Si Episcopus non paruerit termino ab illis sibi præfixo; rustici in adventum ejus collata in proprios suos usus convertent, & Episcopus consecrabit templum, quando volet ipse. Paræciani non tenebuntur ei postea viaticum obviam mittere; nisi Episcopus legitima impedimenta habuerit. Si nolit deinceps consecrare templum; rustici de eo conquerentur coram Rege. 2. § Episcopus pro suis decimis oleo chrismatis [k] ungere debet clericos, calices, indumenta sacerdotalia, templum & cæmiterium, altare, & altaris ornamentum ac linteum instratum, nec plus pecuniæ vel victus â rusticis capere tenetur, quàm modo dictum est. Si tali tempore ad parœciam veniat, quale ipse vult; presbyteri ei victum obvium procurabunt, non verò parœciani. Episcopus ita se geret ad curam animarum, ut pater ad curam liberorum suorum.

(g) C. 4. *h. t. UL. & HL. & c.* 3. *WML. & c.* 6. *eod. WL.*

(h) C. 4. *WL. c.* 3. *OL. eod.*

(i) C. 4. *h. t. UL. c.* 3. *eod. WL.*

(k) *Ut olim in Papismo hîc moris erat; hodie moribus nostris in usu esse desiit.* Confer *Indicem Stiernhielmii in LL. Westrogoth. in v.* Fârma/ *& Lexic. Sveo-Goth. in eodem v.*

V. CAP.

V. CAP.

De Ecclesiæ Sacerdote. Si non conveniat inter parœcianos de Sacerdote.

TEmplo consecrato, Sacerdos se ei offert. Hîc fas est eum sumere sacerdotem, de quo inter omnes convenit. Parœciani cum eo proficiscentur ad Episcopum: Episcopus considerabit (i) ejus eruditionem & literas inaugurationis. 1. §. Si non conveniat inter parœcianos de eligendo presbytero; conferent se ad Episcopum, & ab eo petent presbyterum. Ille constituet isti Ecclesiæ, cui favet, & illis qui jus Patronatus (k) habent. Quando Clericus vel Sacerdos adscitus est cum Episcopi & parœcianorum consensu; rustici suam ecclesiam & ornamenta illius ei committent, quæ sacerdos iterum campanario demandabit.

(i) *C. 3. WML. h. t. c. 4. SML & 5. UL. eod.*

(k) *De jure Patronatus, quale nunc in usu est, vid. artic. 33. Privil. Nobil. de A. 1617. & Archiepiscopi quondam Upsal. Laur. Paulini tractatum de Iure Patronatus.*

VI. CAP.

De Sacrilegio; vel si quid ædes sacra furto vel alio modo amittat campanarii negligentiâ. vel si ædes sacra comburatur; vel si campana decidat. & de jure campanarii.

SI apertâ templi januâ quid furto ex templo auferatur; ille resarciet damnum qui constituit aut elegit campanarium, si campanarius ipse damnum rependere nequeat. 1. §. Nullus sacerdos potestatem habebit indumenta sacerdotalia exportandi in parœciam, nisi paterfamilias aut materfamilias in morbo decumbat. Si quid ex his ornamentis amittatur; ex dimidiâ parte id refundet presbyter, & dimidiâ parte paterfamilias aut materfamilias, ad quos presbyter se contulerat. 2. §. Si templum incendio deflagret ex igne ædi sacræ illato à campanario; parœciani illum eâ de causâ judicialiter convenient, & campanarius tenebitur se purgare jura-

juramento de incendio casuali per octodecim viros, cum sequestratione septem marcarum, & fiet executio mulctæ, ut in alio casuali incendio. Si campanarius deficiat in juramento; mulctam octodecim marcarum pendet in refectionem templi. 3. §. Si quis adeat Ecclesiam & ab ea petat officium campanarii; ille recipietur, in quem Sacerdos & parœciani consentiunt. Si de eo inter illos non conveniat; parœciani recipient illum, quem volent. Si Ecclesia quid ornamentorum amittat incuriâ campanarii, quodcunque sit; refundent illi qui campanarium recipiebant, si ipse refundere nequeat. 4. §. Postquam campanæ campanario commissæ sunt, ille tenetur pulsare campanas legitimo modo ad preces matutinas, ad missam & concionem majorem, & alia sacra officia, & ad funus. Si rusticus velit pulsari campanas ad menstruum spatium in memoriam defuncti; pro qualibet vice dabit ipsi quatuor nummos. Campanarius tenetur deportare manuale & sellam pro sacerdote, cum vadit in paræciam ad præbendum alicui sacramentum. 5. §. Si dissolvatur funis campanæ; campanarius die Dominico primo, secundo & tertio præ templi foribus stans hoc indicabit parœciæ, & rogabit æedituos præcavere in tempore lapsui campanæ. Si campana decidat, postquam de præcautione legitimum indicium aut præmonitio facta est, & opprimat campanarium; pro eo mulctæ loco solventur septem marcæ. Omne damnum quod campanarius accipit ex campanis, inter casus fortuitos computatur; sed mulctas æditui ex propriis nummis solvent. Si rumpatur campana post legitimam præmonitionem; mulcta erit trium marcarum, quam etiam pendent æditui ex propriis nummis, quæ impendetur campanæ emendæ. Si præmonitio non præcesserit, & campana decidens oppresserit campanarium, vel vulnus ex eo casu acceperit; impunè erit. Si rumpatur sic campana absque damno dato, campanarius mulctabitur tribus marcis. 6. §. Si quis pulset campanam non rogatus à campanario; duos solidos mulctæ loco solvet campanario. Si rumpat campanam; parem cum priori campanam restituet, & mulctam trium marcarum solvet. Si campana pulsantem opprimat aut damno afficiat; impunè erit. qui damnum accipit ex campanæ pistillo, id impunè habebit. Si dicat campanarius vel ejus hæres, æditum præmonitum fuisse, quod campana soluta fuerit; ædituus autem neget; hoc stabit XII. parœcianorum testimonio, cui uterque assentitur. 7. §. Campanario dabitur dimidius modius frumenti secundum modium Upsaliensem, ab omnibus illis, qui Sacerdoti sol-

ſolvunt decimas ex frumento& vivo pecore. vel dabitur campanario tantum pecuniæ, quanti modius æſtimatur tempore Nativitatis Chriſti,eamque pecuniam ipſe colliget. Quisquis campanario ſuum tribuere recuſat; à presbytero ſacramenti uſu prohibebitur. Omnes opifices qui presbytero dant unum ſolidum, campanario dabunt duos nummos in Feſto Paſchatis. Illis presbyter & campanarius tenentur æquè ſacra adminiſtrare, atque aliis qui decimas ex frumento & animalibus ſolvunt. Qui minus ſolido dant presbytero;à campanario liberi erunt Si parœcianus domi egeat presbytero, vel ut ſibi ægroto euchariſtiam præbeat, vel infantem ejus baptizet; parœcianus campanario,& campanarius presbytero hoc indicabit.

Confer c. 5. 6. h. t. OL. & HL. & WML. eod.

VII. CAP.

De Decimis, & legitimâ earum cuſtodiâ vel adſervatione.

Decimæ ab agro ſeponentur, quævis decima merges, vel decimus quivis manipulus. Eorum tertiam partem habebit presbyter: & de reliquis duabus partibus eccleſia tertiam partem habebit. Legitima cuſtodia in Sepimentum habebitur ad quatuordecim dies, poſtquam omnes ſepimenti poſſeſſores recondiderunt ſuam meſſem. Si poſtea ſinguli nolint ſuam partem recondere;illorum damnum erit, qui id ſuâ culpâ patiuntur: & reliqui agricolæ ſint extra culpam. Nullam vecturam Epiſcopo vel Sacerdoti tenentur parœciani præſtare, niſi ſponte velint. Si quis ſeminans,minus centum mergetibus accipiat, duas vel tres vel plures centenario minores; agricola tenetur ſolvere decimam quamvis mergetem aut manipulum, & immunis eſt ab alia collatione vel debito. 1. § Si ſervus conductitius ſibi agrum conducat & ſeminet, vel alius ſolutus homo, nec ipſe habitet in iſto agro; decimas ſolvet ex agro ubi ſitus eſt (*k*) & reddet contributionem ex loco habitationis, ſive ſit intra parœciam, ſive non. Si vero habitet in eodem prædio, ubi agrum colit; inde decimas præſtabit, & liber erit ab alia contributione, ſi propriâ quadrâ aut menſâ vivat. 2. §. Quisquis decimas (*l*) de frumento rectè præſtare vult; ille decimam quam-

(*k*) *Confer. c. 14. §. 2. h. t. WL.*

(*l*) *Inſpiciatur Ordinatio de Dicimis art. 3. §. 4. & artic. 5. Receſſ. de A. 1638. & 1664. art. 18. & Privil. Cleric. de A. 1650. artic. 4. prout hodiè obſervatur.*

quamque mergetem, & decimum quemque manipulum ſolvet, inchoando à capite agri, ubi primum metere cæpit,& continuando usque ad terminum ejus, donec decem fuerint, nec ſegetem per agrum portabit. Decimæ in agro relinquentur, & legitima cuſtodia circa eas habebitur, ut ſup. dictum eſt. Si decimæ furto ſubtrahantur, vel conſumantur à pecore, vel diſſipentur, vel corrumpantur intra legitimam cuſtodiam;eas refundet agricola. Eccleſia ſibi ornamenta comparet ex decimis ſuis,tam ad veſtes altarium, quàm ſacerdotales, ut & ceram ac thus emendum. Si Eccleſia egeat materiâ ad ædificia, parœciani eam advehent, & Eccleſia ipſa ſuis expenſis architectos conducet. 3. §. Parœciani tenentur dare decimas de lino, cannabe, rapis, piſis, fabis, ut & de ſecali,tritico & lupulo, ex priſcâ conſuetudine. §. 4. Sacerdotibus debentur etiam decimæ de animalibus pro miniſterio ſuo, de vitulis, porcellis novem dierum,hædulis, agnis & anſeribus, in Feſto S. Olai.Parœciani ipſi decimas de animalibus ad eccleſiam advehent, nec ad jusjurandum adſtringentur de decimis rectè perſolutis. Si non accreſcant tot fœtus,ut presbyter inde decimum accipiat ; agricola pro quolibet pullo equino dabit quatuor nummos, pro quovis vitulo duos nummos,unum nummum pro quolibet porcello, unum nummum pro quovis anſere, unum nummum pro quovis agno, & ſic pro capreolo. 5. §. Presbyteri etiam capiunt decimas ex omni fœturâ piſcium,& ex omni ductu retium tempore hyemali, & ex omnibus pellibus. 6. §. Si opifex habitet in parœcia, qui non ſeminat ; ille ſacerdoti dimidium ſolidum ſolvet, ſi ſolus ſit : ſi duo ſint aut plures ſimul ; unum ſolidum. Si quis in parœciâ habitet,qui domum conduxit, non habens pecus aut ſemen ; dabit presbytero,ut famulus conductitius,dimidium ſolidum in Feſto Paſchali,& famula trientem. 7. §.Si negligat ruſticus ſolvere decimas, & fateatur ſe debere, ſacerdos ei denegare poteſt ſacramentum die Paſchali. Si ſacerdos neget ſe accepiſſe decimas,vel minores debito accepiſſe dicat à parœciano ; purget ſe parœcianus proprio ſuo juramento, & liber ſit. Si ſacerdos culpet parœcianum, quod ab ipſo furatus ſit decimas, poſtquam eas rectè ſeponebat ; ab iſto furto ita ſe purgabit parœcianus, ut ruſticus purgat ſe contra ruſticum in tali facinore,ſecundum qualitatem delicti;vel mulctabitur ſecundum legem provincialem. 8. §. Presbyter debet unam collectam penuariam à ruſticis quotannis habere, ad æſtimationem quatuor nummorum Sueticorum,vel quatuor nummos pro eâ.

VIII. CAP.

De funeralibus, & missis defunctorum. Atque si viator in morbo decumbat, vel moriatur infans vel mendicus in paroeciâ.

PResbytero debentur funeralia, nimirum quinque solidi: pro quolibet sepeliendo, hos, tanquam præmium laboris sui, non prius exiget, quàm funus sepultum sit. Pro illis quinque solidis celebrabit tres (*m*) Missas: unam eo die quo funus effertur, alteram septimo die, tertiam trigesimo die à tempore sepulturæ. Si hæredes velint Missas per continuum annum haberi, de eo convenient cum sacerdote. Si mortuus possideat decem solidos vel minus; ex his presbyter tertiam partem capiet, & defuncti hæres duas partes. Si plus quàm decem solidos possideat; quinque solidi inde presbytero debentur. 1. §. Minorennes infra annos XII, sepelientur absque omni impedimento & exactione. Si verò minorennis hæres factus sit; presbytero plena funeralia debentur, si minorennis plus quàm decem solidos possideat. Si decem solidos aut minus possideat; sacerdos tertiam partem capiet. 2. §. Si viator morbo correptus decumbat in paroeciâ; tunc paroecianus, apud quem decumbit, hoc significabit campanario, & campanarius sacerdoti. Sacerdos tenetur ad eum venire, confessionem ejus audire, poenitentem absolvere, ungere (*n*), funeri benedicere & exsequias ire, & loco funeralium ex ejus bonis quinque solidos capere, si ita suppetant, & pro illa pecunia tres Missas pro ejus anima celebrare. Si defunctus non tantum in bonis habeat; sacerdos tertiam partem ex bonis ejus capiet, & unam Missam pro ejus animâ decantabit. 3. §. Si mendicus in paroecia moriatur; idem ministerium ei præstabit sacerdos, quod agricolæ, etiamsi mendicus nihil præter baculum & peram possideat. Rusticus apud quem funus jacet, vicinis exsequias indicet, qui funus sequentur & sepulturæ aderunt. quisquis nuncium accipit, nec funus sequitur, mulctabitur tribus solidis, quos capient funus sequentes; vel purgabit se cum duorum virorum juramento quod nuncium non acceperit, vel impeditus fuerit.

(m & n) Isti ritus Missarum pro anima defuncti, & extremæ unctionis, hodiè velut verbo Dei contrarii, in Ecclesiis nostris Evangelicis abrogati sunt.

Confer c. 8. UL. & HL. h. t. c. 7. WML. c. 11. SML. 12. WL.

IX. CAP.

Quid Sacerdoti debeatur pro copulatione Sponsi & Sponsæ, & introductione mulieris in ædem sacram post partum. Si mulier careat introductione.

Nullus Sacerdos debet plus capere pro copulatione sponsi & sponsæ, quàm trientem pro qualibet candelâ è cerâ, & illi debent offerre copulanti quantum volunt. Si ipsi cereos habeant, tenetur Sacerdos eos absque omni impedimento consecrare, qualescunque etiam cereos (*o*) habeant, & consecranti offerre tenentur, quantum volunt. Quando pauperes copulandi & consecrandi sunt, hoc fiet cereis Ecclesiæ, absque omni contradictione, & illi, quantum volent, offerent. Paupêres autem vocamus inquilinos, nullam propriam possessionem habentes, qui sacerdoti non decimas, sed exiguum quid loco contributionis dant, item conductitiam familiam & cum aliis inhabitantes, & mendicos. 1. §. Si mulier in ædem sacram introducenda sit post partum, dabit sacerdoti unum solidum pro cereo. Si ipsa habeat candelam, ex dimidiæ marcæ cerâ erit, & fœmina, quantum volet, offeret. Si sit egena fœmina, introducetur Ecclesiæ vel ædis sacræ cereò; & Ecclesia ipsa habebit suos cereos, tam postea, quàm ante. 2. §. Si mulier accesserit ad ædem sacram, solenniter introduci cupiens, & sacerdos eam introducere nolit, eaq; careat concubitu mariti; sacerdos probabit cum duobus aliis sacerdotibus, quod ei non negaverit introductionem; vel mulctabitur tribus marcis, Episcopo duabus, & patrifamilias unâ.

(*o*) *Cereis olim hic in Papismo solennia consecrationis Ecclesiasticæ, cui illi adhibebantur, fiebant. quorum, abdicato Papismo, hodie apud nos non amplius hujusmodi usus est.*

X. CAP.

De quinque diebus sacrificiorum, quibus maritus & uxor offerre debent sua dona.

Quando presbyter decimas & contributiones à parœcianis accepit, rem divinam facere, & scire tenetur, quid parœcianis suis iterum debeat. Ille præcipua sacra peraget coram paroecianis suis per quinque dies festos, Nativitatis Christi, Purificationis Mariæ, Paschatis, omnium Sanctorum, & consecrationis ædis

dis ſacræ. His quinque diebus obligati ſunt parœciani offerre *(p)*, tam viri quàm fœminæ. Si illi abſint templo dictis diebus, proximo die Feſto offerent, atque ſic excuſabuntur. Si tergiverſentur in offerendo dona ſua, duos nummos pro uno ſolvent.

(p) *Hodiernis moribus mittunt presbytero Paſchale munus; & eleemoſynas erogant in pauper ſingulis diebus Feſtis & Dominicis.*

XI. CAP.

De infantum baptiſmo, & quomodo laicus aut mulier ægrotum infantem domi baptizare poſſint.

Quum parœcianus cupit filium aut filiam ſuam baptizari, presbyter autem absque parœcianorum conſenſu exceſſit parœcia, nec habet legitima impedimenta, ſed infans caret baptiſmo; presbyter mulctabitur tribus marcis infantis parenti. 1. §. Si infans infirmus naſcatur, nec in templum deportari poſſit, nec ſacerdotem tam citò parentes habere poſſint; baptizare illum licet viro in aquâ, & nullo alio liquore: quod ſi vir non adſit, per fæminam hoc fieri poteſt, quæ ita dicet: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen. Si moriatur infans ita baptizatus, poteſt in cæmiterio ſepeliri. Si vivat infans ita baptizatus, & vivus ad eccleſiam deferatur; debet presbyter quod reſtat benedictione ſupplere. Si infans ille adoleſcat, & dubitetur, num baptizatus vel non ſit; Epiſcopus elapſo anno, poſtquam natus erat, hoc inquiret, & quod invenerit de Jure faciendum eſſe, faciet 2. §. Si maritus & uxor in vico ſoli habitent, & illa pariat infantem, qui infirmus naſcitur, antequam non baptizatus moriatur; patri aut matri licet eum baptizare: quia non alius præſtò eſt, qui id facere poſſit: nec diſſolvitur matrimonium propter compaternitatem ſupervenientem. Si plures in pago cohabitent & paterfamilias eat ad vicinum ſuum, rogetque eum, ut compater vel teſtis infantis in baptiſmo ſit, ſed vicinus recuſet, infansque moriatur; vicinus denegans mulctabitur tribus marcis, vel probabit cum decem virorum juramento, quod ipſi hoc non denegarit. Si deficiat in juramento; Epiſcopo ſolvet mulctam XII. ſolidorum, & mulctam XII. ſolidorum infantis parenti: ſi infans baptizetur, impunis ſit.

Confer c. 10. WML. c. 9. SML. 11. HL. 1. WL.

XII.

XII. CAP.

De Sacramentis infirmo adminiſtrandis. vel ſi parœcianus moriatur absq; pœnitentia & ſacramento; & culpa in Sacerdotem conferatur.

Si agricola in morbo decumbat, & ad presbyterum mittat ſacramenti ſibi præbendi cauſa, presbyter autem aliis rebus occupetur, & interim moriatur iſte vir absque ſacramenti uſu; presbyter viri hæredibus mulctabitur tribus marcis. 1. §. Si ſacerdos ſimul nuncium acceperit de baptizando infante, & ægroto Sacramentum præbendo; prius viſitabit ægrotum, quàm infantem. Si verò Sacerdos ſe prius diſtrictum tenuerit baptizando infantem, quàm viſitando ægrotum,& hic interea moriatur absque confeſſione; ſacerdos defuncti hæredibus tribus marcis mulctabitur. 2. §. Si agricola mittat ad Sacerdotem funeris curandi & benedicendi cauſa,nec ille adveniat, funus autem per unam, duas aut tres noctes absque benedictione domi permanſerit; ſacerdos mulctæ loco ſolvet tres marcas, vel probabit legitimum impedimentum cum duobus presbyteris:ex iſtis tribus marcis Epiſcopus duas capiet,& actor unam. Quando funus per tres noctes in domo remanſit,poteſt parœcianus impunè illud efferre & ſepelire; quod ſi ante deduxerit, plectetur tribus marcis,unâ Epiſcopo,alterâ illis omnibus per quorum terram funus deportabatur, tertiâ marcâ centenario. § 3. Si parœcianus presbyterum inſimulet, quod aliquis ex ejus familiâ deceſſerit absque ſacramento;ſacerdos debet probare legitima ſua impedimenta cum duobus presbyteris: primum impedimentum eſt, quod ei hoc non ſignificatum ſit: (q) alterum,quod Epiſcopus eum ad ſe vocarit: tertium, quod morbo correptus fuerit: quartum, quod Miſſam celebrarit, quum nuncium acciperet.Quod ſi deficiat in probatione; mulctam trium marcarum ſolvet parœciani hæredibus.

(q) *Si parœcianus hoc in tempore non indicet presbytero, ille pari modo mulctabitur c. 12. h. tit. HL. Confer etiam præter c. 12. h. t. UL. c. 13. §. 2. 3. WL. c. 6. OL. c. 11. WML. c. 9. SML. h. t.*

XIII. CAP.

Si Sacerdos negligat Miſſam, vel publi-

cam denuciationem dierum festorum & jejuniorum. Ex quibus causis Sacerdos parœcianum ab Ecclesia excludere possit.

Si presbyter negligat Missam die Festo, quem præcedit dies profestus, mulctabitur tribus marcis parœcianis suis: nisi legitima impedimenta habuerit. unum est, quod ægrotus decubuerit: alterum, quod Episcopus eum ad se vocarit; hoc tenetur probare duorum presbyterorum juramento. Quilibet parœcianus quolibet die Dominico debet adire templum. Sacerdos tenetur festos & jejuniorum dies indicere; quod si neglexerit, & parœcianus propter ignorantiam non adierit templum istis diebus, sacerdos mulctabitur tribus marcis. si indicat presbyter, & oblivīscatur vel negligat parœcianus, mulctabitur hic tribus marcis. In omnibus causis, in quibus insimulatus paroecianus conveniri potest, convenietur coram superiore suo, ibique vel absolvetur vel damnabitur: si absolvatur, impunis erit: si damnetur, mulctabitur secundum leges provinciales. 2. §. Non debet Episcopus aut presbyter aliquem à Sacramento vel ingressu ecclesiæ suspendere aut præcludere, nisi pro his causis: nimirum pro confessione, pro decimis, pro bonis pertinentibus ad ecclesiam aut presbyterum, & pro omnibus spiritualibus causis, non verò pro pecuniariis. Quicunque Sacerdos injustè paroecianum excludit ecclesia, & absque Episcopi sui veniâ, mulctabitur tribus marcis, dimidia parte Episcopo, & dimidia parte paroeciano solvenda. 3 §. Si quis suspendatur à sacramenti usu vel ingressu ecclesiæ ob justas causas, & sit suspensus per annum, Episcopus illum excommunicare potest. Si non in viam redierit, & humili deprecatione gratiam impetraverit intra annum & diem; Rex illum gladio plectet, & talis carebit sepultura in cœmiterio. Veri autem hæredes capient ejus bona, & ipse reus in culpa suæ necis erit, nec ea alii imputabitur.

Confer c. 13. b. 1. UL. c. 12. WML. c. 13. SML & HL. c. 11. §. 1. WL.

XIV. CAP.

De Donationibus, quas vir aut mulier legat in testamento Sacerdotibus aut

Ec-

Ecclesiæ in rebus soli vel mobilibus, & hæres negat, vel impuber est. vel si contendant sacerdos & ecclesia; vel si terra sub hypotheca obligetur ecclesiæ. vel si quis eligat sibi sepulchrũ extra parœciam. vel si quis ingrediatur ecclesiam, ab eâ exclusus. vel si fœtura piscium tempore nocturno contingat. vel si quis manum immittat baptisterio.

Si vir aut fœmina bona sua ecclesiæ vel monasterio donare aut legare velit; potestatem habebunt, ea vel presbytero in alimẽta, vel ecclesiæ in ornamenta donare. Si presbyter aut æditus dicat plus donatum esse, & hoc negetur; tunc donantis adhuc vivi assertioni stabitur, quantum donatum sit. Si donans jam mortuus sit, & ejus hæredes hoc negent; ecclesia hoc cum firmatoribus & testibus defendet, qui præsentes erant, quum tantum donabatur Tot firmatores vel assertores aderunt donationi, quot emptioni, pro qualitate donationis. 1. §. Si vir aut mulier possessiones suas pro anima sua (r) donarit ecclesiæ vel monasterio, & præstò sit verus hæres, qui ad maturum intellectum pervenit, & uterque hoc adfirmet, & firmatores adsint ac plena documenta; rata & firma donatio erit, quantacunque fuerit. Si autem hæres hoc neget, vel non adsit, vel impuber, vel non satis compos mentis sit; non licet ei plus donare quàm decimam (s) partem bonorum suorum, præsertim adquisitorum jure olim hæreditario, sive plus sive minus possideat: Hæc est legitima donatio. Bona industriâ alicujus vel emptione comparata donare quis potest (t) cui vult, vel pro anima sua. 2. §. Si quis

(r) *Donationes & Missæ pro defuncti anima in igne purgatorio, ut fingunt, versante, quales apud Pontificios in usu sunt, hodiè in Ecclesiis nostris abrogatæ sunt: quum purgatorium sit solùm expurgatio crumenarum; aut ut Chemnitius in Examine Concil. Trident. de igne purgatorio loquitur: quod sit ignis, qui culinas Pontificiorum Sacerdotum splendidè calefaciat.*

(s) *Confer* c. 19. Ersd. § 1. Gl.

(t) c. 9. Jord. ll. *Cum toto hoc 14to capite conferatur* c. 13. 17. 18. *WML. h. t.* c. 12. *SML.* c. 12. §. 4. & c. 22. §. 5. *WL.* & c. 14. *HL. h. tit.*

quis se tradat in monasterium, vel xenodochium aut nosocomium (vulgò hospitale); non potest ei per donationem plus inferre de bonis suis, quàm hæredes volunt. Si plus donet, quàm leges permittunt, & hoc aliquis in controversiam intra annum vocet; revocabitur omne supra leges donatum. Si hæres sit captus, vel extra patriam, vel impuber; donationes ejus permanebunt in sequestratione, donec hæres domum redeat, vel à captivitate liberetur, vel impuber ad justam ætatem perveniat: postea hæres potestatem habebit vel diutius detinendi in sequestro donata, vel intra annum tradendi illi, cui donata sunt. Si nullus hæc impugnet intra annum, secundum jam dictas rationes; ecclesia retinebit sibi donata pleno jure, quæ sibi adquisivit. Si quis alii ex consanguineis aut familiaribus quædam bona donet, hujusmodi donatio sortitur effectum ad beneplacitum hæredum. Si quis dona in alium conferat cum legitimorum hæredum præsentium consensu; nulli potestas erit hanc donationem retractandi, si facta sit in præsentia firmatorum & plenorum testimoniorum. 3. §. Si quid donetur in mobilibus ecclesiæ vel presbytero, ibi præsentes erunt duo viri possessionati, qui de eo testari possint, lite motâ. Campanarius verò non potest de eo testimonium perhibere. Si verò contentio oriatur inter ecclesiam & presbyterum, & hic dicat, sibi donatum esse in sustentationem sui, & ecclesia dicat sibi ad ornamenta donatum esse, atque adhuc in vivis sit qui donavit; in ejus arbitrio erit, dominium rei donatæ transferre, in quem velit. Si non amplius exstet donator, duodecim parœciani cognoscent, num presbyter vel ecclesia illud jure possidere possit, & dimidia Nemda ab utriusque, presbyteri & ecclesiæ, parte in rem consulet. Omne quod ecclesiæ donatur sive sit in re soli sive mobili, ut & ejus agrarium acceptum ex terrâ suâ, vel quodcunque sit ei donatum, vel emptum decimis suis, hoc convertet in usum & ornamentum sui, nec habet aliquis potestatem in alios usus convertendi. 4. §. Si quæ terra pro hypothecâ obligetur ecclesiæ, & possessor vel ejus propinqui eam redimere possint intra præfixum terminum; ad eos redibit. Si non possint redimere intra dictum terminum; ea hypotheca similis conditionis erit, qualis est inter rusticos, de qua jure cautum est. Si parœcianus donet presbytero rem soli aut mobilem, sive morbo affectus, sive sanus sit; hoc retinebit unus presbyter post alium: nisi eâ conditione donatum sit, ut ille presbyter, cui donatum est, de eo faciat quod velit. Si res soli presbytero donata sit; aderunt firmatores: si sit

si sit res mobilis, testes aderunt, ut dictum est prius. 5. §. Si moriatur paroecianus, & eligat sibi sepulchrum extra suam paroeciam, nihilominus plenè præstabitur presbytero loci, quod ipsi debetur, si sepeliretur intra paroeciam suam: & presbyter præstabit ipsi omnia ministeria, quæ solet præstare intra paroeciam ecclesiæ suæ sepultis. 6. §. Si exclusus ab ecclesia redeat ad eam tempore Missæ celebratæ, & quidem ante offertorium, ut vocant; potest presbyter exuere vestes sacerdotales (si ille non aliter excedere æde sacra velit) & Missam omittere: pro qua omissione nec presbyter nec paroecianus mulctari debet, sed ille qui deliquit. Si dictus vir ingrediatur templum, postquam tempore Sacrorum ordinaria Missa inchoata est; non debet presbyter omittere inde decantationem Missæ, quam liberè paroeciani audire tenentur. Si Lensmannus culpet paroecianos, quod Missam audiverint cum excluso ab ecclesiâ; purgabunt se decem virorum testimonio, vel mulctabuntur tribus marcis. Si proscriptus vir veniat in ædem sacram; invitus eâ expelli vel extrahi non debet, nec etiam cæmiterio: & presbyter impunè Missam decantare, atque paroeciani audire possunt. 7. §. Si baptisterium ruptum sit, presbyter hoc paroecianis ad tres dies Dominicos indicabit: Si illud non reficiant intra septem dies à tempore indicii; paroeciani solvent Episcopo mulctam trium marcarum, ei soli addicendarum. 8. §. Si foetura piscium incidat in Paschatis noctem, Ascensionis Christi noctem, vel Pentecostes noctem; nassam extrahere licet, & retia levare exemptis inde piscibus: non tamen retia in aquas reponere, nisi prius divino expleto officio dictis diebus sacris. Eadem sacrorum celebratio servari debet omnibus diebus Dominicis, & aliis festis diebus. Dominicis tamen diebus licet ad piscandum ire, quando tempus est coitus & foeturæ piscium, sed ire post sacra peracta. Seminare quoque & metere iisdem diebus licet, sed sacris prius peractis. 9. §. Si vir aut foemina immittat manum in baptisterium; mulctabitur sex solidis, vel purgabit se cum duorum virorum testimonio. Si impuber hoc faciat; impunis erit, quia non melius intelligebat. Si quis imponat pileum, chirothecas aut arma operimento altaris, in quo consecratum saxum jacet; mulctabitur quatuor nummis, vel purgabit se suo juramento: isti quatuor nummi erunt sacerdotis.

XV. CAP.

De incesto, & quomodo adulterium plecti debeat. atque si Episcopus dissolvat sponsalia. quomodo Sacerdos publicè conjugium denunciare debeat.

In causâ illiciti concubitus, incesti, cognationis spiritualis, consanguinitatis, & adulterii, nullus alius judex est apud parœcianos, nisi Episcopus (*u*), vel qui Episcopi jurisdictione fungitur. Si quis reus fiat horum criminum, Episcopo solvit sex marcas: & de Sponsalium dissolutione vel stabilitate disponit Episcopus. 1. §. Quando quis aliquam sibi desponsari curat, eaque sponsalia dissolvuntur ex sententia Iudicii Ecclesiastici; solvet uterque, sponsus & sponsa, trium marcarum mulctam: Ita quoque mulctabuntur, qui legitimè desponsati, absque sententiâ Iudicii Ecclesiastici seipsos seperant; Episcopus capit sex marcas pro dissolutione, tres marcas à singulis, si ambo sint in dissolutionis culpâ: si alter tantùm in culpâ sit, ille solvet sex marcas, & qui pro conjugio instat erit insons. Si vir dicat se desponsasse fœminam, & illa neget, atque superveniant Episcopi literæ, interdicentes eis matrimonium inire, priusquam examen instituatur de priori Sponsaliorum contractu, & num dissolvendus sit, judicetur: nihilominus tamē alter contra interdictum illud faciat, mulctabitur tribus marcis: similiter mulctabitur, qui cum eâ scienter contraxit, vel purgabit se cum decem virorum juramento, quod ignoraverit, eam alteri desponsatam fuisse. 2. § Quando sponsus & sponsa desiderant coram Ecclesia copulari, hoc indicabunt parœciæ presbytero, & presbyter hoc tribus diebus Dominicis denunciabit in ecclesia, quod isto sponsus & sponsa contraxerint sponsalia secundū leges provinciales, & copulari velint secundū jus ecclesiasticū. Si quis intra illos dies advenerit, qui impedimēta sciat in isto casu, sive ob consanguinitatem, sive cognationem (*x*) spiritualem, vel

(*x*) *Cognatio spiritualis, vel compaternitas, ut vulgò vocant, quum sit constitutio civilis moribus nostris hodiè non est impedimento conjugio; ut Ordinatio Ecclesiastica Sueciæ loquitur.*

vel quod ille aut illa cum alio prius Sponſalia contraxerit, vel quod quis ſciat alia conjugii impedimenta; presbyter non debet eos copulare, antequam hoc inveſtigatum ſit. Si intra dictum terminum non intervenerit aliquod impedimentum; licet presbytero eos copulare: nec quisquam habet poteſtatem contra illud poſtea aliquid objiciendi, qui audiebat, presbyterum eos legitimè denunciaſſe. Si quis deinde impugnare velit illud matrimonium poſt copulationem factam; ille mulctabitur ſex marcis, ex quibus Rex capiet duas marcas, & Epiſcopus duas marcas, & duas actor: & hoc conjugium ratum ac firmum erit. 3. §. Quisquis committit ſimplex adulterium cum muliere ſibi non cognata; mulctabitur ſex marcis tam ille, quàm illa: & ſic pro duplici adulterio (y). Si concurrant adulterium & inceſtus, cognationis ſpiritualis & conſanguinitatis violatio; pro his ſingulis ſeparatim mulctatur, & purgatur ſimplici juramento, ſi purgandum ſit. Si maritus uxorem ſuam inſimulet adulterii, iſtum virum judicialiter convenire debet, quem arguit adulterii: vir autem iſte, ſi ſe purgare decem virorum juramento poſſit, liber erit: Si deficiat in juramento, mulctabitur tribus marcis. Si mulier neget adulterium, illa quoque ſe decem virorum juramento purgabit: ſi deficiat in juramento; mulctam trium marcarum ſolvet, & diſciplinam eccleſiaſticam ſubibit: & mulctabitur pro adulterio, ut dicitur in tit. de Conjugio. Si vir ſe juramento purgare poſſit, ambo impunes erunt (z).

(y) *Duplex adulterium hodie eſt capitale.*

(z) *Confer ſup. cap. cum c.19.20.21.24. WML.h t.c.15. SML.c.23. WL.h.t.c.2. §.3.5. de conjug. ll.*

XVI. CAP.

Epiſcopus judex eſt omnis excommunicationis. Si quis ſtuprum committat in templo vel cæmiterio, & de coitu cum beſtiâ.

Si uxor maritum ſuum arguat adulterii, ille ſe purgabit decem virorum juramento: ſi juramentum præſtare poſſit, ambo impunes erunt, maritus & uxor. Si vir deficiat in juramento, mulctabitur tribus marcis. Uxor etiam adulterii ſuſpecta, lege ſe purgabit, nimirum decem virorum juramento: in quo ſi deficiat, etiam trium marcarum mulctam pendet (a). 1. §. Nemo alium ar-

 guet

(a) *Hodie adulterii conjugata perſona cum ſolutâ eſt octoginta marcarum proba moneta mulcta prima vice. Vid. Synops. jur. Diss.29.th.25. ſed plenum adulterium eſt capitale.*

guet adulterii, nisi conjunx conjugem : aut nisi ambo deprehendantur domi in ipso crimine, vel duo testes adsint qui viderunt ingressum & egressum eorum ; tunc Episcopi Lensmannus vel purgationem juratoriam vel pecuniam ab illis exiget. Si vir insimulatus adulterii possit se purgare juramento ;extra culpam erunt vir & mulier,& soluti erunt testes. Si vir in ipso facinore veris testibus deprehendatur , ut dicitur in tit. de conjugio (b) singuli mulctabuntur Episcopo tribus marcis. 2. §. Episcopus est judex fœnoris : Qui fœnus exercet ; Episcopo mulctabitur sex marcis, si convictus sit hujus facinoris. Quæcunq; excommunicationis causa esse potest,& adest actor,Episcopus eam examinabit cum verissimis testibus,quos habere potest,& inde judicabit, prout invenerit æquius esse. Si non exstent testes, deferetur juramentum insimulato secundum leges provinciales: si juramentum præstare possit, liberabit tam se quàm sua : si deficiat in juramento , mulctabitur Episcopo sex marcis pro excommunicatione , & deinde pro delicto suo mulctam secundum leges provinciales Regi,actori & centenario. 3. § Si quis cum propriâ vel alienâ uxore in templo aut cœmiterio rem habeat,& ad hoc Episcopi Lensmannus duos testes habeat;insimulatus hujus facinoris purgabit se decem virorum juramento: quod si præstare possit;extra culpam erunt tam vir quàm mulier. si deficiat in juramento;mulctabitur tribus marcis: eodem modo mulier. Episcopus debet inquirere, quis templum aut cæmiterium profanarit aut polluerit ; author ejus reus erit sex marcarum. Sustentatio prospicietur Episcopo, quando purgat templum aut cæmiterium. 4 §. Si quis coëat cum jumento, & usurpet eam instar fœminæ, & in ipso facinore deprehendatur,ligatus in judicium deducetur : idq; possessor jumenti vel bestiæ faciet. deinde nominabuntur duodecim viri in judicio, qui cognoscent quid verum sit. Si innocentem eum declarent qui probatur esse reus;ille mulctabitur XL. marcis,qui insontem ligabat & constringebat. Si verò damnent eũ, vivus in terram defodietur cum bestia,quacum istud delictum commisit. Si actor illi vitam concedere velit ; mulctabitur sex marcis auctor delicti tripartiendis, ita ut duas partes capiat Rex,duas Episcopus,& duas actor. Si quis alius arguatur hujus facinoris,ad hoc duorum virorum testimonium habebit, & alter se purgabit cum octodecim virorum juramento. Si possit hoc juramentum præstare, ille & testes liberi erunt : si deficiat in juramento; mulctabitur sex marcis

(b) Hodiè coitus cum bestiâ pœna est prius decollatio, deinde combustio utriusq; ;nec locus est mulctæ. Et ut vir aut fœmina vivi defodiantur sub terra, hodie non amplius in usu est; sed alia pœna capitalis.

cis tripartiendis,ut antea dictum est, & Episcopus disponet de disciplina ecclesiastica illi imponenda. 5.§. Si quis subierit disciplinam vel pœnitentiam Ecclesiasticam extra provinciam natus, & petat literas testimoniales ab Episcopo & duos solidos offerat pro literis: & Episcopus ei nolit literas dare intra annum,mulctabitur XL. marcis tripartiendis inter actorem,Regem & territorium. Si verò Episcopus ei offerat dictas literas pro dicta pecunia, & alter eas intrà annum redimere nolit;ille XL. marcarum mulctam solvet Episcopo.

Confer c.15.SML. h.t. c.23. eod. WML. & c.23 WL.& 25. OL.

XVII. CAP.

Si Episcopi Lensmannus aliquem arguat violati Festi aut pœnitentialis diei.

Si Episcopi Lensmannus aliquem agricolam insimulet violati Festi,dicens illum laborem aut opus fecisse in suo vel alterius prædio allodiali die Festo, vel dicat illum violasse indictum diem pœnitentialem,& adsint duorum virorum testimonia; purgabit se cum decem virorum juramento. Si deficiat in juramento; mulctam trium marcarum solvet Episcopo,& testes liberi erunt. 1. §. Si Episcopi Lensmannus dicat,exclusum ab ecclesia intrasse templum, qui debebat eliminari, vel dicat eum comedisse carnem tempore pœnitentiæ, vel consuetudinem habuisse cum excommunicato viro vel malefico, & adsint duorum virorum testimonia in dictis casibus, & in ipso judicio deposita; tunc insimulatus se purgabit decem virorum juramento : si deficiat in juramento, mulctabitur tribus marcis, & testes extra culpam erunt. Episcopi Lensmannus non debet exigere juramentum aut pecuniam, nisi adsit actor, vel duo testes. Si culpatus juramento legali se purgare possit; testes immunes erunt à pœna. 2. §. In omnibus causis de quibus actio apud Episcopum instituitur,testes extra culpam erunt, sive jusjurandum præstetur,sive deficiat.

Confer c. 19. §. 6. & 21. WL. c. 24. WML. c. 16. HL. h. t.

XVIII. *CAP.*

Si quis cædat alium Festo die,vel si presbyter occidatur aut vulneretur die operario.Si fores cœmiterii ruinosæ sint.si furtum in templo committatur.

Si qui se percutiant aut cædant Festo die,sic ut violetur securitas & pax publica, sive hoc fiat plenâ vulneratione sive homicidio ;Episcopo debetur mulcta trium marcarum.Si contra acto-

 rem

rem se defendere possit, sit etiam defensus coram Episcopo. Si duo vel tres vel plures unum hominem cædant Festo die (c); non nisi una mulcta pro eo solvitur, sive trium, sive sex marcarum causa sit. 1 §. Si quis occidat alium die operario vel negotioso; mulctabitur Episcopo tribus marcis. si duo vel plures occidant aliquem eo die; omnes Episcopo solvent mulctam trium marcarum. Si quis alium occidat die operario, Episcopo solvet trium marcarum mulctam. Si duo vel plures occidant eodem die aliquem, omnes Episcopo tribus marcis mulctantur. Si quis occidat alium die Dominico; Episcopo pendet sex marcas: ita, si duo vel plures eo die homicidiũ (d) committant. 2 §. Si quis occidat patrem aut matrem vel uxorem vel alium intra torum genialem, solvet Episcopo sex marcas, sive die festo sive profesto. Si quis sacerdotem vel alium clericum occidat, aut plenum vulnus ei infligat operario die; solvet mulctam sex marcarum Episcopo pro excommunicatione, & tres marcas pro violatione pacis publicæ. Si Clericus occidatur die Festo, augetur mulcta tribus marcis. 3. §. Omnes qui se purgare possunt coram actore, purgati erunt coram omnibus qui eos in judicio convenire possunt: et qui in purgatione sui deficiunt, obnoxii sunt mulctæ. 4. §. Si cæmiterium neglectum jaceat; Episcopi Lensmannus ex parœcianis ad inspiciendum nominabit. Si fores cæmiterii ruptæ vel ruinosæ sint, idq; inspectores testari possint; pro qualibet januâ vel portâ trium marcarum mulcta erit, donec tres rupturæ sint. Quilibet parœcianorum pro se & sua ruptura respondebit ac tenebitur: & reliqui, qui fecerunt quod debent, impunes erunt. Si foramen in muro cæmiterii sit, per quod sues aut aliud pecus penetrare possit, vel pinnaculum aut operculum muri deciderit; est trium solidorum mulcta, quam solvent, & resarcient damnum rei debendi: reliqui verò parœciani extra culpam erunt. 5. §. Si quis furetur ab alio in templo vel cæmiterio, licet cuivis ibi furem suum capere & apprehendere: fur autem solvet Episcopo mulctam trium marcarum pro violatione pacis ecclesiasticæ: pro furto autem plectetur secundum Leges provinciales. In templo vel cæmiterio non fruetur pace, quia contra eam deliquit.

Confer c.17.18.SML.b 1.& 17.HL.c.26.WML.c.5.WL.c.29.30.OL.

(c) *Hodiè pœna est arbitraria vel quoad mulctam vel corpus, pro qualitate facinoris die Dominico commissi; licet damnum subsecutum non sit. Si subsequatur damnum, aggravatur pœna in duplum, respectu delicti alio die commissi. Vid. Diploma R. de violat. Sabbathi artic. 16.*

(d) *Pœna homicidii hodie capitalis, & pœna parricidii nota est ex c.1. Dråp. & c.2. Högm.*

XIX. CAP.

De perjuriis, pro quibus Episcopus mulctã accipit.

Si

Pro alicujus perjurio (*e*) vel falso & retractando juramento, debet Episcopus tres marcas mulctæ loco capere. Si plures uno perjuri sint, sex marcas capiet: tres ab eo qui rogatus cum altero jurat, & tres à principali reo ac perjuro. Si plura juramenta de eodem negotio deferantur, velut iuramenta legitime à principali præstanda, fidejussorum aut sponsorum juramenta, judicialium testium juramenta, eaque revocentur; omnes eorum authores soli Episcopo sex marcarum mulctam pendent: tres marcas principales, & tres marcas compurgatores, vel qui cum altero jurant & consentiunt. Si verò seipsos separaverint, singuli mulctabuntur sex solidis, donec compurgatores compleverint tres marcas, & principalis tres marcas: quæ quum completæ fuerint, nemo potestatem habebit hunc vel illos vexandi. Quod si testis juratus purgaverit se contra principalem; principalis mulctabitur sex marcis. Ubi juramentum præstitum revocatur; principalis solvet mulctam Episcopo debitam: & principalis ad compurgatorem, vel qui cum eo juravit, regressum habebit. 1. §. Quisquis venit in judicium, & dicit se jurasse, eoque quærit convincere adversarium suum, & tamen contra eum sententia fertur; mulctabitur tribus marcis, si non exstet qui cum eo juravit. Si verò ille adsit, mulctabitur ille quoque tribus marcis, ut principalis, & subibit pœnitentiam ecclesiasticam & mulctam, sive juraverit, sive non juraverit. Si impuber minor quindecim annis juraverit, vel excommunicatus qui nondum pœnitentiam egit, nec admissus est in ecclesiam; illud juramentum improbatur, & Ecclesia capit sex marcas. Si quis duo juramenta uno die præstet; posterius præstitum cassum erit: & ibi Ecclesia capiet sex marcas. 2. §. Si juramentum esse nullum judicetur à judice territoriali, vel provinciali, & tergiversetur jurans, nec appellare vel juramentum defendere velit, neque sententiæ parere ac satisfacere velit: & superioris literis moneatur, vel satisfacere vel appellare, vel subire pœnitentiam: ille verò nullum horum facere velit, sed ingrediatur templum contra interdictum, & contingat propterea cessationem fieri à sacris; mulctabitur tribus marcis pro primâ, secundâ & tertia vice. ista mulcta non augebitur, etiamsi cessatio à sacris non una fuerit, modò abstineat ab ecclesia, donec pœnitentiam egerit. 3. §. Si judex aliquem condemnaverit ad pœnitentiam ecclesiasticam, & Ecclesia inde recipiat pecuniam, & judex postea absolvat eundem, & alium condemnet in eadem causa; Ecclesia ei restituet suam pecuniam qui se defendebat, & liberabit eum à pœnitentiâ, si quæ restat, & Ecclesia accipiet pecuniam suam à condemnato. Judex autem mulctabitur tribus marcis pro errore in judicando, duabus Episcopo, dimidiâ marcâ Regi, & dimidiâ marcâ ei qui se defendit. Si judex provincialis ita judicaverit, solvet sex marcas, quatuor Episcopo, unam Regi, & unam ei qui est absolutus. *(HL. & WL. &c.*

(*e*) *de pœnâ perjurii hodie usitatâ vid. c.* 21. Ting. *(de judicio territ.) & confer c.* 19. *h. t.*

XX. CAP.

Si Clericus delinquat adversus Laicum, & vice versâ.

Si clericus delinquat contra laicum quocunque fiat modo; laicus citabit clericum ad forum ecclesiasticum. Si laicus delinquat adversus clericum; vocabit hic illum ad judicium civile vel territoriale, & laicus ad actionem respondebit sive lege, sive legitimâ mulctâ. 1. §. Si qui de ecclesia delinquant contra alios ex plebe, vel plebeji contra illos; hoc devolvetur ad judicium provinciale, quodcunque etiam delictum sit. Ita si quis cum ecclesia litiget de re soli, quæcunque illa sit, hoc dijudicabitur secundum leges provinciales, & in judicio Regio & sub Iudicis provincialis decisione. 2. §. Ubicunq; Episcopus parœciano non vult jus dicere, illi potestas est de eo conquerendi coram Rege suo. Omnes lites de terra alicujus vel de illicitis operationibus in ea, sive sint contra clericum sive laicum, pertinebunt ad judicium provinciale.

Confer c. 10. Ting. *vel de judicio territ. c.* 19. *SML. de jur. Eccl. c.* 20. *HL.* 30. *OL. eod.*

XXI. CAP.

De pace cũ corpore Christi, & si illa violetur.

Omnes debent in pace Dei & ecclesiæ esse, qui corpus Christi sequuntur, & in cætu ac comitatu cum illis sunt. Quisquis

hanc

hanc pacem violat sive in cœmiterio sive extra cæmiteriũ ;. hoc pro eodem habetur, atque si in ipso templo factum esset: quodvis tamẽ secundum delictum suum. Si alius dicat se damnum accepisse in illa pace, alius neget; hoc cognoscent duodecim viri ab ipsis nominati, qui sint ex eadem parœcia. §. 1. Qui furtim accipit sacramentum corporis Christi & quidem contra interdictum, mulctabitur Episcopo tribus marcis.

Confer c. 20. h. t. SML. & c. 21. HL.

XXII. CAP.

De delictis & Nemdis ex dimidiâ parte Ecclesiæ, & dimidiâ parte Coronæ.

Super causas hactenus enumeratas, utraq; Nemda Coronæ & Ecclesiæ judicabit. Si quis pacẽ pub. violet S. Laurentii die, occidat aut vulneret aliũ S. Erici die, vel S Mariæ, vel die Cineralium, Upsaliam proficiscens, ibi subsistens, vel inde discedens; viginti marcis mulctabitur Coronæ, & viginti marcis Ecclesiæ pro pacis publicæ violatione. Si quis violaverit pacem die Assumptionis Mariæ Sigtunæ, vel quando Episcopus consecrat templũ; mulctabitur pari modo XL. marcis. Illa pax publ. modò dicta inchoatur à prima vespera, & finitur sequẽti die ad occasum solis. 1. §. Ambæ Nẽdæ Ecclesiæ & Coronæ judicabunt, si juramentũ regiũ violetur in æde sacra vel cæmiterio, ubi conveniunt amici vel inimici, vel in viâ ferente ad tẽplum, aut à templo, si prius dissentirent. 2. §. Si quis invitus extrahatur templo vel cæmiterio, quicunq; maleficus sit; nisi deliquerit contra illam ecclesiã, in quâ constitutus est, Ecclesia capiet viginti marcas pro violatione pacis pub. & viginti marcas Corona, si facinus evidẽs ac manifestum sit. Si verò nondum apertum sit, dimidia Nẽda Coronæ & Ecclesiæ cognoscet à parte actoris, & dimidia à parte rei. Si reus damnetur; dividetur mulcta violatæ pacis pub. ut ante dictum est: & præter illud sex marcæ pro excommunicatione. Sustentationem sui vel victum capiet Episcopus, quando expurgare debet templum aut cæmiterium. Si securitas aut pax publica violata sit in cæmiterio, mulcta erit secundum leges provinciales: & sex marcæ pro excommunicatione, si fiat in templo vel cœmiterio. In his judiciis jam enumeratis, Regis & Episcopi Lensmanni præsentes erunt, & non alii: & dimidia Nemdæ Ecclesiæ & coronæ judicio stabitur, si quem absolvere, & dimidiæ judicio ac sententia, si quem in quacunq; causa condemnare velit.



Proceſſus Judicialis

ORDINATIO,

Quæ in poſterum obſervari debet.

Facta in Comitiis Örebrogæ
ANNO M DC XIV.

A

NOS GUSTAVUS ADOLPHUS Dei gratiâ, Suecorum, Gothorum designatus Rex & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Westmanniæ &c. Hoc ipso notum facimus, postquam percipimus ex infinitis querelis, quæ indies nobis à fidelibus nostris subditis, universis Sueciæ incolis, superioribus & inferioribus, obveniunt, quod leges & justitia non, ut oportet, administrantur, nec jus & æquum, velut benè constitutum imperium exigit, distribuitur: Quod inde ut plurimùm oritur, dum territorialia & provincilia Iudicia in regionibus, & Curiæ in urbibus non ita respiciuntur & diriguntur, nec ejus auchoritatis & existimationis sunt, cujus secundum Leges esse debebant: Deinde quod populus sæpenumerò absque verâ & legitimâ ratione statim se confert ad aulam, ut ibi deferat suam causam in absentia suorum adversariorum. Illud autem deprehendimus plerumque fieri ab illis, qui desiderant aliorum querelam prævenire, dum iniquam causam fovent. undè sequitur, quod tales vel cum exprobratione quadam à nobis dimittere, vel ad eorum narrationem hujusmodi responsum dare cogimur, quod in alterius partis præjudicium sæpe vertit: dum bonæ causæ non ex proposito, sed ex malè narratis præjudicatur, atque interdum tota evertitur: Nos autem absque intermissione, modò ab uno, modò ab altero innumeris querelis & molestiis oneramur atque interpellamur. Quapropter quum Regia & suprema nostra potestas speciatim requirat, ut tueamur nostros subditos in Legibus Suecanis & omni justitiâ ac jure, contra omnem iniquitatem & injustitiam deprimamus, secundum extremas nostras vires; prout ejus rei curam semper ac summopere habuimus, & in posterùm, quantum fieri potest, huic rei operam dare volumus. Proinde considerantes, salutarem Iustitiam per legitimam & ordinariam Processus viam conservari & administrari posse, jam in his Comitiis, cum universorum Ordinum consilio & consensu, talem Ordinationem fecimus, qualis subsequitur, quam volumus pro Lege haberi & observari.

I. Præfectorũ territorialiũ & Iudicum provincialium cum suis Nemdis auctoritas & jus.

Concedimus hoc ipso omnibus territoriorũ præfectis & judiciorũ provincialium præsidibus cum suis Nemdis, ut & consuli

ſulibus & Senatoribus in urbibus, omnem poteſtatem & auctoritatem in proceſſibus juris ac ſententiis, atque aliud jus & fas, quod illis ſecundum provinciarum & civitatum leges debetur & competit.

II. Illorum officium.

E contrario obligati erunt ad ſuſcipiendum, diligenter cognoſcendum, & juſtè dijudicandum omnes lites ac controverſias, atque omnes alias cauſas, quæ ſecundū Leges ad eos pervenire debent. Non autem à ſe rejicient ullam cauſam, niſi de quâ prius ſententia lata ſit. Licet tamen illis, ubi aliquod dubium & perplexum eſt in cauſa, vel ſentiunt ſe ignorare in certo caſu quid juris ſit, tam diu ſuſpendere ſententiam, donec Nos & conſtituta ſuprema noſtra Iudicia de eo conſulant.

III. Dies judiciales, eorumq; neglectus mulcta.

In poſterum quoque tenebuntur omnes præfecti territoriales ter quotannis & ordinariè, velut circa Novum annum, Walburgis & Michaëlis diem, aliàsque extraordinariè, ſi talis caſus contingat, & neceſſe ſit, habere judiciū in quolibet territorio; & Iudex provincialis tenetur minimùm ſemel quolibet triennio judicium inſtituere in omnibus territoriis, per totam ſuam jurisdictionem. Si quis hoc negligat, & de eo querela audiatur; præfectus territorii mulctabitur triginta daleris, & Iudex provincialis ſexaginta daleris tripartiendis, inter Regem, actorem & territorium, pro quolibet judicii habendi tempore, quod negligit. Idem jus erit cum Conſulibus & Senatu, quod cum præfectis territorialibus, ſi diem judicii curialis negligant, & de eo querela inſtituatur. Præfecti quoque noſtri provinciarum, arcium & caſtellorum in qualibet regione, civitate & territorio, ſedulò providebunt, ut hæc dicto modo obſerventur.

IV. De Exſecutione.

Quod ergo in judicio territoriali & provinciali, & in curiâ per ſententiā definitivā dijudicatur, legitimam vim ac robur habebit, & noſtri præfecti provinciarum, arcium & caſtellorū curabunt, ut territorialis, & provincialis judicii præſidum, ut & conſulum & ſenatus ſententiæ exſecutioni mandentur; niſi, inſtitutâ querelâ, teneri velint ex ipsâ causâ, ſalvo tamen unicuique beneficio appellationis in illis cauſis, in quibus appellationi locus eſt.

V. De appellatione.

Hoc modo in poſterum appellabitur in provinciis: à præfecto

fecto territorii ad Iudicem provincialem, à Iudice provinciali ad Nos & Regium noſtrum Iudicium aulicum, in civitatibus à Curia ad Nos & Regium noſtrũ judicium aulicum. Et in hoc ſemper obſervabitur, ut legitimè procedatur, & nullus negligat in tempore appellare, ſi appellatione frui velit. Ut verò nemo per legitimam appellationem incidat in temerarios ſumptus & damnum, ille qui appellare vult, obligatus erit ad conſtituendum pro ſe fidejuſſores, & reſpondendum actori in judicio ad proximum Regii judicii conventum, nec diutius id protrahet.

VI. De judicum juramento.

Volumus etiam, ut nulli in poſterum committatur adminiſtratio officii Iudicis, antequam præſtiterit judicis juramentũ, ſive ſit præſes judicii territorialis, ſive judicii provincialis, ſive conſul & ſenatus in urbibus, noſtri judicii Præſes cum ſua Nemda & Adſeſſoribus, vel noſtri Gubernatores & Prætores, quousque hoc concernit curias.

VII. Nemo ſe cõferet ad Regem, priusquam alia Iudicia viſitarit; niſi ſe exſortem juris & judicialis proceſſus queratur.

Nemini quoq; licebit de cætero cũ ulla cauſa judiciali, cujuscũque etiam nominis ſit, ad Nos ſe conferre, priusquã quæſiverit ante dicta judicia, ibique acceperit ſententiam de cauſa ſua; niſi res ita comparata ſit, ut habeat cauſam querendi de jure ſibi non dicto, & probare poſſit, ſibi in inferiori vel territoriali judicio denegatam eſſe juſtitiam. In quo caſu iſte judex, contra quem querelam inſtituit, ſi ſit præfectus territorii, à judice provinciali, ex actoris deſiderio, ad proximum judicium provinciale citabitur: ſi ſit judex provincialis, vel Conſules & Senatus, contra quos querela movetur; actori licebit Nos vel judicium noſtrum Regium adire, & capere citationem ad reum, qui poſtea tenebitur comparere & reſpondere actori judicialiter coram Nobis & Regio noſtro judicio aulico, ibique pati & ſubire, quod jure in eum ſtatuitur.

VIII. Quomodo appellans ſe gerere debeat, & de mulcta ejus qui violat Regiam ſentẽtiã.

Quãdo quis legitimè appellavit à dictis inferioribus judiciis ad Nos & Regium noſtrum judicium, reſolutionem capiet ab illis judiciis, & Iudex tenebitur illã ei communicare, cum qua con-

conferet se ad Nos, vel ad nostrum Stocholmiæ residens judicium, & accipiet citationem à nostri judicii Præside ad suum adversarium. Quicquid deinde à Nobis & Regio nostro judicio per sententiam dijudicatur & pronunciatur, hoc ratum & firmum erit, nec revocabitur, nec ullus potestatem habebit illud ulterius impugnandi, sub mulcta centum dalerorum pro violatione sententiæ judicii Regii, & nihilominus ad principalem causam damnabitur.

IX. De Gubernatorum & Prætorum officio.

Quandoquidem sæpe percipimus, quod nostri Gubernatores & præfecti provinciarum aut prætores transgrediuntur non semel officium suum & transeunt in aliud, hoc modo, quod qui jure debebant esse executores litium nostro nomine, gerunt se pro judicibus, & confundunt suum & judicii territorialis præsidum officium. Proinde volumus in posterum ita observari, ut nullus Gubernator aut Prætor amplius se immisceat provinciæ aut territorii judiciis, sed urgeat nostro nomine causam ad judicium deduci, & ut legitimi judiciorum dies ac tempora non negligantur. Atque si à judicibus quædam negligentia committeretur; exigent præscriptas mulctas, eosque admonebunt, ne ulteriorem negligentiam admittant. Si ne quidem tunc ulla emendatio subsequatur; illis licebit hoc nobis vel Regio nostro judicio aulico significare, & quod à nobis vel Regio nostro judicio pronunciatur, severè & pro qualitate causæ exequi. Si quoque Præses judicii territorialis aut provincialis queratur, à nostris Prætoribus aliquid arrogari, quod in diminutionem existimationis aut officii eorum redundet; quilibet tenebitur alteri in judicio respondere.

X. Causa judicii Regii aulici Holmiæ erecti.

Etiamsi nos, ut Lex Sueciæ vult, populi actiones ipsi acceptare, audire & dijudicare velimus, & operam navare, quantum fieri potest, ut fideles nostri subditi semper in legum & justitiæ patrocinio defendantur: quia tamen propter alia regni summè necessaria negotia & multiplices molestias, non semper personaliter omnibus juris processibus ipsi præesse possumus; prout etiam ob regni salutem non semper possumus in uno loco permanere, sed necesse habemus pro ratione temporum pacis aut belli eò nos conferre, ubi cognoscimus nostrâ præsentiâ ad regni defensionem potissimum opus esse. Ut interim jus & justitia ordinarium suum progressum habeat, & nostri fideles subditi sciant, quo loco causas suas judiciales

les deponere & legitimam ſententiam exſpectare debeant; idcircô ereximus & conſtituimus Regium noſtrum judicium aulicum, & ſupremum tribunal in noſtrâ civitate Stocholmiâ, cui tam in noſtra præſentia quàm abſentia damus poteſtatem adminiſtrandi Regium judicium.

XI. De Iudicii Regii perſonis.

Illud conſtabit quatuordecim perſonis, inter quas ſemper unus erit Regni Drotſetus, cum quatuor aliis ex regni Senatu, quinq; Nobilibus, & quatuor aliis doctis, legum peritis & honeſtis viris: & regni Drotſetus ſemper erit Judicii noſtri Præſes, & in ejus ſubſidium alius Vice-præſes.

XII. Quomodo alius in decedentis locum conſtitui debeat.

Poſtquam Regium noſtrum hoc judicium ſemel idoneis perſonis inſtructum eſt, & aliquis ex illis poſtea per mortem inde avocari poſſit, vel aliàs inhabilis aut debilis corpore & membris fieri, vel qualicunque modo hoc ſuo officio decedere poſſit; alii, qui adhuc officium ſuum obtinent, ſex viros nobis in electione ponent ejusdem ſtatus & conditionis, cujus prior fuit, intra ſex proximas hebdomadas, ex quibus ſex nobis propoſitis unum eligemus, & in decedentis locum conſtituemus & reponemus.

XIII. De jurisdictione Regii judicii aulici.

Coram hoc Regio noſtro judicio & ſupremo Foro primò introducentur, cognoſcentur & definitivè concludentur omnes legitimè appellatæ cauſæ, quæ ad Nos appellari ſolent, & dicto judicio inſinuari poſſunt ac debent, ſive ex Ducali Iudicio aulico, ſecundum Donationum tenorem, ſive ex judicio provinciali, ſive curia regni, ſive Senatu provinciali Eſthoniæ, ſive conſulibus & ſenatu Revaliæ & Narvæ, nullis exceptis, nullique licebit à Regio Judicio aulico appellare.

XIV. De privilegiatarum aut militarium perſonarum litibus, ubi eæ inſtitui debeant.

Deinde ut quilibet ordo in rectè adquiſita ſua libertate & privilegiis defendatur & conſervetur, volumus, ſi quis Nobilium in noſtro Regno ita delinqueret, ut per hoc (modò delicti convinci poſſit) capite plectendus, vel exiſtimatione, libertate ac privilegiis Nobilitatis, bonis & hæreditario jure privandus eſſet,

esset; ille solùm comparebit coram Regio judicio, & ibi sententiam suam accipiet: quod tamen ita intelligendum est, ut causa & facinus, ubi perpetratum est, prius cognoscatur & examinetur in territoriali vel provinciali judicio, vel in curia urbis: & ut persona postea cum investigatione causæ mittatur ad hoc judicium nostrum Regium, ad accipiendam ibi sententiam. Pari modo, ubi nonnulli Nobiles litem inter se habent, vel cum aliis de hæreditate dividenda, vel re soli intra regnum sita; illa decidetur coram hoc judicio Regio. Sed si res soli, de qua litigant, intra Ducatum Principis sita sit; prius quærent judicium Ducale, reservato cuique appellationis beneficio secundum Donationes. Sed in omnibus aliis negotiis, sive sint inspectiones vel lites de agro, prato, silva, aqua piscatoria &c. item de ære alieno, vi, injuria, vel quodcunque sit, quod Nobilis alii facit, vel ipse ab alio patitur, sive sit in urbibus, sive provinciis; aget & respondebit in judicio loci & in curia, & tam fruetur, quàm subibit omne qnod legi & sententiæ consentaneum est, salva tamen cujusque ordinis & status libertate & jure, secundum provinciarum & civitatum Leges. Cæterum ante dicta non intelligenda sunt de illis Nobilibus, qui militiam sequentur & ubi quidam eorum delinquunt, qui quamdiu equitant sub Regis aut Regii officialis vexillo, vel alioquin illis in rebus militaribus aliquid in mandatis datur, Articulis & Legibus militaribus subjecti erunt.

XV. Quid observandum sit de Sententiarum codicibus.

Hujus nostri judicii Præses cum suis Adsessoribus etiam quotannis revidebit & recognoscet omnes Sententiarum Codices per totum Regnum, atque ubi deprehendunt aliquem judicem tulisse injustam sententiam ob vim, amicitiam, odium, vel largitionem, eum in judicium vocandi potestatem habebunt, & ille tenebitur coram illis defendere suam sententiam, vel luere, quod Lex jubet. Itaque omnes territorialium & provincialium judiciorum Præsides, ut & consules & senatores in urbibus obligati erunt ad tradendum quotannis tempore Purificationis Mariæ Stocholmiæ nostro Advocato Fisci suos incorruptos Sententiarum codices: Quisquis hoc negligit, qualibet vice mulctabitur tredecim daleris, judicio Regio addicendis, & nihilominus tradet Sententiarum codicem.

XVI. De delictis.

Ne delinquentes tam diu, quàm hactenus factum est, impunes maneant, & delicta hoc modo crescant, ut & contra in-

insontes suâ innocentiâ, suo sibi bono, fruantur, vel pœna rei non nimis exasperetur, idcircò Præses Regii nostri Iudicii cum suis Adsessoribus revidebit omnes causas capitales, easque ex ante dictis Iudicum territorialium & provincialium, consulum & Senatorum urbicorum codicibus Sententiarum recognoscet, nobisque postea proprium suorum judicium repræsentabit. Sed in nostrâ remotiori absentiâ, damus illis plenam potestatem declarandi se & suam sententiam de omnibus criminalibus ac capitalibus causis, & quam facturi sunt declarationem vel de pœna capitis, membrorum, carceris, vel mulcta pecuniaria, hæc omnia tam rata ac firma erunt, ac si ipsi eam fecissemus: & à nostris Gubernatoribus & Prætoribus statim absque dilatione exsecutioni mandabuntur. Et ubi aliquis reperiri posset, quem judices à pœnâ capitis liberare non possent, & tamen propter nonnullas circumstantias Christianum esset ei pœnæ capitalis gratiam facere, hoc Nobis ipsis reservabimus.

XVII. De gravioribus criminibus.

Sed quoniam percipimus, multa graviora & manifesta crimina in regionibus grassari, quorum nequaquam, absque singulari Dei offensâ, & simplicium scandalo, gratia fieri potest, atque sic eadem crimina sæpe vel impunita manere, vel pœnam eorum ad aliquot annos vel longũ tẽpus protrahi, eo quod necesse fuerit primum à nobis resolutionem de illis petere. Proinde ut manifesta crimina aliis in terrorem & in tempore plectantur, nostris Præfectis provinciarum, Gubernatoribus & Prætoribus, cuilibet in suo Feudo, potestatem & licentiam damus, post legitimam, diligentem & accuratam cognitionem ac sententiam, exemplum ac supplicium statuendi in subsequentia crimina, velut incestum in ascendenti & descendenti linea, & in primo & secundo gradu lineæ inæqualis, coitum cum bestiis, violentum stuprum, infantum homicidium, notorium & manifestum latrocinium, grassationem & rapinam in silvis, viis publicis & alibi, homicidium violentum aut voluntarium, in templi vel judicii viâ; ut tamen cum iis procedatur, post præmissam propriam confessionem & sententiam in territorii aut provinciæ judicio, vel in curia civitatum.

XVIII. De ipso processu.

Quod attinet ad Processum in Iudiciis usitatum, de hoc observabitur, quod in titulis de Iudicio Territoriali & Curiali descriptum est.

XIX. Ne officiarii malitares aliquem de suo exercitu capiant in defensionem sub judicium.

Quia comperimus, quædam peccata & injurias, quæ committuntur ab equitibus & militibus, impunitas manere, ideò quod eorum magistri equitum, capitanei vel alii officiarii eos in defensionem recipiunt & judicio subtrahunt, hoc ipso severè prohibemus omnibus equitum magistris, capitaneis & omnibus aliis, defendere ullum suorum equitum aut militum aut subtrahere legi aut citationi ad judicium. Sed tam officiarii, quàm vulgares equites & milites, dum domi & in stativis sunt, communibus Legibus provincialibus subjecti erunt, & patientur ac luent, quod Leges dictant, æquè ac alii nostri subditi & indigenæ regni. Prout etiam Nobilibus pari modo interdictum volumus, defendere vel immunem dicere ullum suum ministrum à jure & citatione. Si quis conetur contra facere, ille tenebitur tam ex alterius, quàm proprio suo facto, coram Nobis vel nostris Iudicibus, & postea punietur, ut interdicti nostri violator & contemptor.

XX. De terminis Iudicii regii.

Sed ut quivis eò melius sciat, quo tempore anni hoc nostrum Iudicium Regium visitare debeat, hoc ita constituimus, quod bis quotannis haberi debeat, qualibet vice per octo hebdomadas. Prima vice à die Walburgis, usque ad diem Petri Pauli: altera vice à Festo Mariano usque ad diem Martini. Quo tempore noster Præses cum universis suis Adsessoribus Stocholmiæ aderit, & ibi cognoscet ac decidet omnia ante dicta negotia. Interea vel Præses noster, vel Vice-præses unà cum tribus ex aliis, uno ex Regni Senatoribus, altero ex Nobilibus, & tertio ex doctis & Legum peritis, semper residebit Stocholmiæ, atqui si quædam causæ eò tunc devenire possint, vel ibi expedient, vel secundum causarum gravitatem, ad opportunius tempus different, & simplicem actorem de eo informabunt.

Quod hæc ante dicta ita constituimus & ordinavimus, & seriò volumus ac jubemus ab omnibus servari, propria manu subscripsimus, & scienter Sigillum nostrum Regium inferius apponi fecimus. Actum Örebrogæ a. d. 10. Februarii A. 1614.

Reg.

Reg.ª M.tis Sueciæ

PROCESSUS JURIS,

Qui obſervari debet in R.æ Majeſtatis ſupremo Iudicio Aulico,

una cum

Informatione, quomodo pronunciatæ Sententiæ ordinariè exequendæ ſint.

NOS GUSTAVUS ADOLPHUS' Dei gratiâ, Sueciæ, Gothiæ & Vandaliæ designatus Rex & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Westmanniæ, Notum facimus, velut ex quotidiana experientia satis superque percipere possumus, quod difficile sit, imò ex parte impossibile, conservare ac promovere in imperio pacificum & quietum statum, nisi cuilibet æquale jus tribuatur. Ac idcircò, quantum turbulenta hæc tempora ferre potuerunt, operam dedimus, ut illæ constitutiones, quæ à præteritis Sueciæ Regibus, Majoribus nostris, factæ sunt, ut decet, respiciantur, & in priorem laudabilem usum revocentur; peculiariter autem, ut in causis juredicialibus ille ordo & processus servetur, quem Sueciæ Leges evidenter exprimunt & continent. Summoperè etiam de eo solliciti fuimus, quomodo Supremum Iudicium, à quo non est appellatio, & Sueciæ Codex legum vocat Regis Iudicium, pari modo possit ad suum vigorem & authoritatem redire. Proinde salutare censuimus, approbavimus & consensimus, ut benè memoratum Supremum Iudicium iterum erigatur, & deinde quotannis in vigore suo & usu conservetur; & quod subditis nostris licitum ac concessum erit proferre ac insinuare dicto Iudicio sua gravamina, causas & negotia, & ad ea præstolari decens responsum ac sententiam à nostris Præsidibus & Adsessoribus. Nostri verò subditi cum nullis aliis causis se sistent & offerent Iudicio nostro, quàm quæ sunt appellabiles, & aliàs in eodem Iuris processu debent cognosci & dijudicari. Sed ut illi qui judicum officio funguntur, & processum juris administrant, ut & illi qui pronunciatas sententias decenti exsecutioni mandare debent, & ratione officii ejusdem processus juris participes sunt, omnem confusionem effugiant, & ut cum omnibus causis ita peragatur, quò comparentes in judicio non diu detineantur, ideò scienter, ex dilecti nostri Senatus regni consilio, concipi fecimus subsequentem ordinationem, secundum quam ante dicti judices se componere & gerere debent, si fugere et evitare velint Regiam nostram vindictam et inclementiam.

I. De loco judicii Regii.

Regium Nostrum judicium, Nemda et Forum aulicum semper habebitur in nostra metropoli Stocholmia, in peculiari ad

ad id destinato loco; nisi vel Nos vel nostri successores Sueciæ Reges ob graves causas illud ad tempus in alia regni loca transferre velint.

II. Quot personis Regium judicium instrui debeat, & de cujuslibet loco.

Hoc Regium nostrum judicium instruetur quatuordecim personis, quæ satis idoneæ sint ad officium judicum, & speciatim Sueciæ legibus bene versatæ & exercitæ, civiles & candidi viri, prout illorum optima copia dari possit in regno. Inter illos semper unus erit regni Drotsetus, cum quatuor aliis ex regni Senatu, quinque Nobilibus, & quatuor aliis doctis, legum peritis & honestis viris. Drotsetus semper nostri judicii Præses erit, & in ejus subsidium alius pro Vice-Præside, à judicio Regio constitutus ex Adsessoribus, retinens usitatum suum locum. Et postquam hoc Regium nostrum judicium semel idoneis personis instructum & insessum est, & postea aliquis eorum vel per obitum avocari, vel debilis ac inhabilis fieri, vel quocunque alio modo hoc suo officio evacuari possit, alii, qui adhuc occupant illud officium, sex viros nobis in electione ponent, qui sint ejus status & conditionis, cujus defunctus erat, idque intra sex proximas hebdomadas, ex quibus sex nobis propositis viris unum eligemus & surrogabimus in defuncti locum, atque ita introductus, si sit aliquis Senatorum regni, illum locum in judicio tenebit, quem aliàs secundum personæ suæ & muneris sui dignitatem in Senatu habere debet. Sed si aliquis Nobilium sit, occupabit ultimum locum sui ordinis, & pari modo in tertiâ classe.

III. De tempore habendi judicii Regii.

Et ut quivis eò melius sciat, quo anni tempore hoc Regium nostrum judicium visitare possit, hoc ita ordinavimus, ut bis in anno habeatur, qualibet vice per octo hebdomadas, prima vice à die Walburgis, usque ad festum Petri Pauli, altera vice à festo Mariano usque ad diem Martini; quo tempore noster Præses cum omnibus suis Adsessoribus præsens erit, ibique decidet & terminabit omnia illata negotia. Interim vel Præses noster vel Vicepræses cum tribus ex aliis, uno ex regni Senatoribus, altero ex Nobilibus, & tertio ex doctis & jurisperitis viris semper residebit Holmiæ. Si quis ausit, absque nostra notitia & venia, ex illis quatuor ad hoc constitutis, inde discedere, nec interea alium ex suo ordine in suum locum substituat, mulctabitur dimidii anni salario. Sed si Præ-

si Præses aut Vice-præses vel alius Adsessorum conetur abesse,& ante dicto tempore non revertatur absque legitimis impedimentis; mulctabitur quinque daleris pro quolibet die,quo serius venit:quæ pecunia erogabitur in pauperes. Sed si legitima impedimenta habeat, hoc per literas significabit Regio judicio, biduo ante cæptum judicii terminum. Sed si non plures quàm octo in tempore adessent, nihilominus habebunt potestatem suscipiendi omnia incidentia negotia, eaque cognoscendi & judicandi.

IV. Præsides & Adsessores & ipsi observabunt, & ab aliis observari studebunt hunc juris processum.

Nostri Præsides & Adsessores non solùm ipsi obligati erunt ad servandum hanc ordinationem & processum, sed etiam summam operam dabunt, ut ab aliis observetur, nec ullo modo eam quisquam transgrediatur, multò minùs negligatur aut oblivioni tradatur, peculiariter ab illis qui causam judicio insinuatū eunt.

V. Iidem diligenter observabunt dierum juridicorum tempus & horas.

Præsides nostri & Adsessores semper præsentes erunt præfixo tempore & judicialibus horis, præcipuè illis diebus & horis cujuslibet septimanæ,quibus causæ judiciales præ manibus haberi debent, nimirum ab horâ octavâ matutinâ, ad horam undecimam antemeridianam,atque, si ita necesse sit,unâ atque altera hora post meridiem. Si quis conetur vel ante tempus inde abire,vel justo tempore non advenire; mulctabitur unâ marcâ pro qualibet hora: sed si omni modo per totum diem absit, absque legitimo & probabili impedimento; mulctabitur quinque daleris, pauperibus dandis. Et noster Advocatus Fiscalis sub summa nostra inclementia obligatus erit; non solùm ad diligenter & absque ullius personæ respectu annotandum personas, quando serò veniunt ad præfixum processus terminum,& deinde quando per singulos dies aut horas absunt; sed etiam ad exigendum nummos mulctatitios in pauperes erogandos & pro iis rationem reddendam.

VI. Præsidis & Adsessorum Iuramentum.

Et ut omnes judices tenentur præstare juramentum judicum, ita volumus ut tam Præsides nostri quàm Adsessores præstent sequens corporale & scriptum juramentum:

Nos

Nos promittimus & juramus per Deum & in Sanctum Evangelium, quod velimus in commisso nobis Iudicis officio fideles, integri & sinceri esse; ita ut secundum optimum, extremum & summum nostrum intellectum, ut & secundum Sueciæ Leges, Regni Constitutiones & Recessus, bonos & laudabiles usus ac consuetudines, & absque respectu personarum, suscipiamus, cognoscamus & judicemus omnes causas, quæ in Iudicium deduci possunt, & speciatim ad hoc Regium Iudicium pertinent; cujusvis tamen ordinis benè adquisitis immunitatibus, jure ac privilegiis omnimodò salvis & reservatis; nec illud omittamus propter consanguinitatem, metum, amicitiam, studium partium, vel quamcunque aliam causam. Nolumus etiam nec debemus vel ipsi vel per alios accipere munera, donationes ac largitiones, peculiariter ab illis qui causas suas in judicium deferunt, nec ob lucrum & commodum aliquod, quod à litigantibus partibus exspectare possimus, quocunque modo, vel sub quacunque specie fieri possit, magis facere cum uno quàm alio. Obligamus nos etiam hoc ipso, quod ut partibus litigantibus nolumus dåre præmonitionem de ipsa causa, ita quoque nolumus vel illis vel aliis aperire, quod occultum esse debet, & in modum deliberationis dicitur ac profertur, sive ante sive post latam sententiam. Velut etiam quàm fidelissimè studebimus, ut nullum reum aut sontem faciamus, qui insons est, sed eò connitemur, ut, qui innocens est, absolvatur, atque sic innocentiâ suâ efficaciter fruatur; ita quoque nullum insontem faciemus qui sons & reus est, sed potius eò collaborabimus, ut reus absque cunctatione & dilatione per sententiam condemnetur. Postremò volumus ac debemus omne illud facere & omittere, quod probos & justos judices benè decet, absque omni astutia & dolo.

VII. De modo & ordine suffragiorum.

Mandamus & jubemus, ut nostri Præsides & Adsessores sequantur istum ordinem, ut quando eò pervenitur, ut suffragia ferre, & animi sui sententiam de causa dicere debeant, nimirum infimo loco sedens primus sententiam suam dicat in prima causa, deinde in alia causa proximè sedens, & porrò in tertia, quarta causa, & sic ulterius ac sursum, secundum ordinem sedentium, usque ad ipsum Præsidem. Et velut omnem confusionem parit, si alter alterum interpellet, & velit sententiam suam dicere, antequam eum ordine oporteat respondere & loqui, sic etiam cedit in despectum Iudicii & ipsorum Iudicum contumeliam atque expro-

bra-

brationem, si immisceant se alieno colloquio ac discursui, & aliud agant, dum actor & reus litem intendunt & proferunt in judicio. Proinde volumus, ut his supersedeatur, & ut horum loco nostri Præsides & Adsessores accuratè animadvertant & audiant ea quæ à partibus in medium afferuntur: ut non solùm fundamentaliter concipiant & apprehendant ipsam causam cum suis circumstantiis, sed etiam postea in illa eò justius judicent.

VIII. Si quis suspectus studii partium habeatur in Regio judicio.

Quia sæpe contingit, ut vel noster Præses vel aliquis Adsessorum alterutri partium, Iudicio uti volentium, agnatione vel affinitate conjunctus sit, vel cum uno partium in manifestâ inimicitiâ versetur, ita ut actor vel reus non solùm suspicari possint illum studio partium esse addictum, sed etiam jure postulare queant eum excedere Iudicio: ut ergo vel laudatissimo Iudicio vel ipsi Iudici non fiat aliqua existimationis diminutio; idcircò jubemus, ut ille tamdiu absit Iudicio, dum illud negotium peragitur & finitur.

IX. Quomodo partes, actor & reus se gerere debeant erga judicium.

Nostri Præsides & Adsessores quoque pari modo severè, seriò & diligenter providebunt, ut qui causam suam coram Iudicio producunt, præstent Iudicio debitam reverentiam & honorem, utatur in proponendo & respondendo laudabili modestiâ ac moderatione, abstineant omni prolixitate, inprimis conviciis & aliis ignominiosis verbis; quisquis hoc facit, mulctabitur secundum Leges. Ante omnia hoc eis imponent, ut quicquid proponere volunt, clarè & perspicuè proferant: quò illi, qui ad hoc constituti sunt, illud annotare & calamo concipere possint.

X. Quomodo cum Sententiarum codicibus agendũ sit.

Quandoquidem hactenus cum Sententiarum Codicibus inordinatè & tumultuariò actum est, ita ut secundum Regis Recessus, vel non insinuati sint, vel si quidam insinuati & traditi sint, à nullo tamen diligenter revisi sint, quia non certæ personæ ad hoc constitutæ erant, quæ id facerent. Idcircò è re esse duximus & consensimus, ut nostri Præsides & Adsessores revideant omnes judiciorum & Sententiarum Codices, qui quotannis tempore Purificationis Mariæ insinuari debent, initium facientes ab illis Codicibus qui proximo Purificationis Mariæ Festo traditi sunt & in posterum tradi debent, & postea judicium suum de illis dicentes. Cæterum quia omnibus & singulis, qui judicum officium obtinent, arduum & difficile futurum est, revidere &

recognoſcere eosdem Iudiciorum & Sententiarum Codices, dum judiciorum termini ſunt & conſiſtunt; illi quatuor, qui interea Stocholmiæ reſident, ut ante dictum eſt, hanc moleſtiam in ſe recipient: atque ſi reperiant aliquid in iſtis Codicibus, quod injuſtè judicatum ſit, hoc referent coram judicio ad proximum Proceſſus iudicialis terminum, ut de eo ulterius cognoſcatur, & interea ſuſcipiantur omnes graviores criminales & capitales cauſæ, quæ ex omnibus provinciis extra ordinarii Proceſſus terminos ad nos remittuntur, de quibus ſuum conſilium nobis inſinuabunt, num eorum propter rationabiles & Chriſtianas cauſas gratia quoad capitis pœnam, aut non, fieri poſſit. Poteſtatem inſuper habebunt citandi, ex partium humili deſiderio, eos qui reſpondere debent; reſervatis tamen nobis omnibus citationibus, quando ipſi in loco ſumus, ſive ſtantibus Proceſſus terminis, ſive medio tempore. Sed noſter Advocatus Fiſcalis primò tenebitur ad ſe accerſere dictos Codices judiciorum et ſententiarum à territorialium et provincialium judiciorum Præſidibus, ut & Conſulibus ac Senatu in Civitatibus, eosque exhibebit Regiis noſtris judicibus: In quo ſi negligens ſit, ex Præſidum noſtrorum & Adſeſſorum arbitrio plectetur. Sed ſi culpa reſideat penes Præfectos territorii, judices provinciales, vel Conſules & Senatores in urbibus, quod dictos Codices vel noluerint, vel neglexerint expromere ac tradere noſtro Advocato Fiſci; mulctabuntur tredecim daleris pro qualibet vice: quæ mulcta ſoli Regio noſtro judicio attribuetur, & nihilominus tradent & inſinuabunt dictos Codices.

XI. De cauſis capitalibus.

Quia nobis ex parte moleſtum accidet, dare reſponſum & reſolutionem ad iſtas cauſas capitales, quæ quotannis incidunt & ad nos remittuntur, cum propter multas alias occupationes quibus diſtringimur in rebus imperii, nobis non tempus aut occaſio ſuppetat ponderandi eas ſecundum omnes ſuas circumſtantias, ut jure fieri debet; idcircò voluimus in mandatis dare noſtris Præſidibus & Adſeſſoribus, ut omnes hujuſmodi cauſas ſuſcipiant, & quàm diligentiſſimè & fideliſſimè perpendant & cognoſcant, num illis, in quos ſententia pœnæ capitalis lata eſt, poſſit remitti & condonari pœna capitis, an verò non, exceptis illis caſibus, in quibus noſtri Præfecti provinciarum, Gubernatores & Prætores poteſtatem habent ſecundum Ordinationem procedendi; & quod ab illis hoc modo in remotâ noſtrâ abſentiâ concluditur, hoc ratum erit & in exſecutionem ibit. Sed ſi nos ipſi tam prope adſimus, de illis prius nos certiores facient, antequam Exſecutio fiat, & pœna ſubſequatur.

XII. De

XII. De Regii Iudicii Secretario, Notariis & Actuariis.

Volumus etiam, ut huic Regio nostro Iudicio prospiciatur de docto, perito ac fide digno Secretario, Notariis, ut & de quibusdam honestis Actuariis, qui ante dicto Secretario adjumento & subsidio sint. Illi omnes præsentes erunt illo tempore & horis, quando aliquid agitur in Iudicio, ut præscriptum exstat. Præcipuè summa cum diligentia consignabunt & in protocollum referent, quicquid à partibus utrimque coram judicio proponi & agitari potest. Sed & retinebunt apud Acta certa exempla vel copias omnium literarum, scriptorum instrumentorum & documentorum, quæ Iudicio insinuantur. Alioqui se ita gerent & omnimodò component, ut hæc subsequentia corporalia & scripta Iuramenta in literâ ostendunt:

Secretarii Juramentum.

Ego N. N. Regii Judicii designatus Secretarius, promitto, fidem do et juro per Deum et in Sanctum ejus Evangelium, quod velim summa cùm industria, cura et sollicitudine, fideliter et verè administrare mihi commissam vocationem et officium. Similiter in protocollum redigere, describere et benè adservare omnia in judicio acta, speciatim illa scripta, copias et literas, quæ judicio insinutæ sunt: ut quoque, si quædam literæ, documenta vel informationes in autographo vel originali mihi tradantur, ea penes ipsa Acta collocabo et servabo, nullique vel ipsas literas vel copias earum in manus tradam, absque Regis, Præsidis et Adsessorum notitia et permissione: nec ulli detegam, aut legere sinam quod occultum esse debet: præcipuè illud clam habebo, quod in causis processus juris intra clausas fores dicitur et pertractatur. Nolo etiam suggerere aut inculcare quid partibus, vel eis consilium dare in litigiosa causa, vel accipere per me vel alium munera, donationes vel largitiones, excepta Taxa, pro molestia mea, secundum approbatam ordinationem mihi facta, sed omni modo ita me geram, ut juratum Secretarium decet et par est.

Actuariorum juramentum.

Nos N. N. constituti Actuarii promittimus & jurâmus per Deum et in sanctum ejus Evangelium, quod nobis concreditum officium scribendo, legendo et describendo, volumus et debêmus quàm diligentissimè, fideliter et absque dolo fa-

cere,prout nobis à Regis Præside, Adsessoribus & Secretario imponi & mandari potest. Nulli quoque manifestabimus, audire vel legere sinemus, multò minus communicabimus cuiquam copiam eorum quæ in processus causis sileri debent, absque Regii Præsidis, Adsessorum & Secretarii venia & consensu,ideoque pro illa re non postulare,cupere,accipere vel accipi facere à quoquam donationes vel largitiones,exceptâ Taxâ nobis ordinariè pro labore nostro facta. In summa,pollicemur omne hoc facere quod fideles scribas decet & oportet,omni modo, absque astutia & malitia.

XIII. De Secretarii & Actuariorum officio, ut & quomodo sententiæ ac literæ subscribi & obsignari debeant.

Velut ante memoratus Secretarius cum suis Adjunctis & ipsi assignatis tenetur perficere & in mundum redigere Acta, postquam causa satis & plenè à partibus coram Iudicio discussa est, ut noster Præses & Adsessores eò melius illa perlegere possint,antequam ullam sententiam ferant; ita quoque tam Secretarius quàm Notarius simul aderunt, quando noster Præses & Adsessores congredi & convenire volunt de ipsa sententia. Inprimis accuratè annotabunt, quas rationes, fundamenta & probationes quilibet adducat & usurpet, quibus stabilit suam sententiam vel opinionem, ut principalis Sententia eò melius formari & concipi possit. Sed quod hoc modo peragitur,Secretarius & Notarius vel Actuarius apud se retinebunt ac silebunt usque ad mortis suæ horam,nec ulli detegent, prorsus secundum juramenti sui tenorem. Secretarius etiam in sua custodia habebit Iudicii nostri Sigillum ob obsignandum Sententias & alias Literas, nec ullis modis eo abutetur vel ipse vel alii. Idem tenebitur propriâ manu subscribere omnes literas & quæ alia à judicio emitti & prodire possunt,postquã à Præside & Vicepræside, si ambo in loco sint, vel ab uno eorum subscriptæ sunt. Nullæ tamen literæ prodibunt, nisi ab universo judicio perlectæ & approbatæ sint; & postea subscribi debent his verbis: Regii judicii Aulici nomine, Magnus. Sed quod ad ipsas Sententias attinet,quæ judicio exeunt,illæ à Præside & universis Adsessoribus subscribentur,unà cum omnibus aliis Epistolis ac Literis, & obsignabuntur judicii Aulici Sigillo.

XIV. De

XIV. De Iudicii Postis & Tabellariis.

Permittimus etiam sup. memoratis nostris Præsidibus & Adsessoribus, ut habeant juratos Tabellarios, qui ex ipsorum mandato & jussu mitti possint in provincias cum citatione vel aliis literis. Et Secretarius diligenter annotari curabit, quo tempore in iter se dent, quamdiu absint, & quando redeant. Speciatim quod responsum secum domum referant ab illis ad quos missi sunt, & hoc postea referetur ad Acta.

XV. De partium procuratoribus eorumque juramento.

Etiamsi non inveniatur aliquid in Legibus Sueciæ de Advocatis & Procuratoribus, raròque hîc in Regno permissum fuerit illis uti, sed quilibet proposuerit suam causam coram Iudicio, quàm optimè potuit: Quia tamen sæpe usu venit, ut, qui bonam causam habet, non possit eam sic agere ut decet, ac proferre, atque ita, dum non formaliter & ex fundamentis eam proponit, perdit & corrumpit propriam suam causam: nec possunt judices tali modo satis informari de causæ circumstantiis, sic ut judicare queant secundum optimam artem, uti Codex legum loquitur, sed coguntur sequi conjecturas & quod incertum est; atque ita post confusam & irrationabilem narrationem, sequitur confusa & irrationabilis sententia: Proinde hac constitutione actoribus & reis permissum erit, ut, si non ipsi velint aut possint causam & negotium suum coram Iudicio formaliter proponere, sibi comparent alios, qui hoc eorum nomine possint. Attamen tenentur illos, quibus ita committunt pro se loqui & respondere, non solùm sufficienter erudire de negotii qualitate, sed etiam communicare illis scriptam instructionem & mandatum, quo nostri Præsides & Adsessores contenti esse possint, omnis hominum sermonis vitandi causa. Si etiam nostri Præsides & Adsessores ex gravi consilio & singularibus causis postulare velint ab actoris & rei mandatario vel procuratore juramentum, hoc tale erit: Ego N. N. plenipotentiarius aut mandatarius factus coram Iudicio, N N. nomine, promitto & juro per Deum & Sanctum ejus Evangelium, quod in hac causa volo secundum summum & optimum meum intellectum loqui, consulere & agere, ita ut in ea non utar notorio aliquo dolo, mendacio aut injustitia, vel eò nitar, quomodo causam in adversarii mei fraudem ac detrimentum protraham. Speciatim non manifestabo coram

principalis mei adverſario illas rationes & probationes, quæ mihi ab eo ad cauſæ expeditionem concreditæ ſunt. Præſtabo etiam laudatiſſimo huic Iudicio, & perſonis in eo conſidentibus omnem debitam reverentiam & honorem, & ſtudebo omni modeſtiæ ac moderationi, & aliàs omne illud agere ac omittere, quod fidelem mandatarium ac procuratorem decet ac oportet.

XVI. Quoniam ſæpe contingit, ut actor & reus viſitent proceſſum juris magis ex perversâ & malitiosâ cupiditate litigandi, & ſe invicem defatigandi, quàm quod bonâ & juſtâ causâ nitantur: ideò ſi noſtri Præſides & Adſeſſores hoc judicent conſultum, & actor ac reus hoc à ſe invicem poſcere & deſiderare velint, ſequens juramentum eis prælegetur:

Actoris juramentum.

Ego N.N actor, juro per Deum & Sanctum ejus Evangelium, quod credo nec aliter ſcio, quàm quod bonam & juſtam cauſam foveam, nec per eam intendo & deſidero aliquam productionem, vel talem dilationem, quæ cedat in adverſarii mei damnũ. Volo quoque, quoties à Iudicio interrogor, non reticere veritatem, ſed eam apertè confiteri, & quicquid mihi hoc modo notum eſſe poteſt, audacter effari ac manifeſtare. Similiter nulli quicquam donare, vel ullam largitionem promittere ac ſpondere volo, ut ſententia feratur ex meo deſiderio, & in adverſarii mei præjudicium ac detrimentum.

Rei juramentum.

Ego N. N. reus aut reſpondens juro per Deum & Sanctum ejus Evangelium, quod credo nec aliter ſcio, quàm quod bonam & juſtam cauſam foveo, præſertim ut propugnem & defendam me contra meum adverſarium & accuſatorem. Nolo etiam in hac judiciali cauſa deſiderare & quærere damnoſam aliquam protractionem aut dilationem. Et quoties à Iudicio aliquid interrogor, volo, quantum mihi notum eſt, verum fateri, & ad propoſita interrogata reſpondere. Nolo etiam donare vel aliquam donationem polliceri, ut actor cadat causâ, & ego vincam.

XVII. Si aliquis partium recuſet præſtare præſcriptum juramentum.

Sed ſi actor detrectet præſtare præſcriptum juramentum, quando reus aut reſpondens ab ipſo in conſeſſu Iudicum illud deſiderat, actoris litis conteſtatio inanis erit: reus autem liber declara-

clarabitur ad ulterius respondendum adversario suo in eadem causâ. Sed & actor resarciet reo omne damnum quod passus est, et refundet ei expensas secundum Præsidis et Adsessorum æstimationem. Si reus quoque deneget actori præstare prædictum juramentum, quando id actor ab eo coram Iudicio postulat ac desiderat; illud pro hoc habebitur ac pronunciabitur, ac si reus culpam in se recepisset, atque sic cadit causâ.

XVIII. Si nullus partium à se invicem juramentum poscat, quomodo tunc jurare debeant.

Si verò vel actor vel respondens nolint postulare juramentum à se invicem, & noster Præses æquè ac Adsessores, absque hoc sit, ex omnibus circumstantiis satis advertunt, quod partes cum suo processu quærunt longas & perniciosas dilationes atque vana effugia, quibus producant & sufflaminent causam; Præses & Adsessores potestatem habebunt & permissionem ex officio, ut illis curent prælegi sequens juramentum, si illud bonâ & purâ cum conscientiâ præstare possint:

Ego N. N. juro per Deum & Sanctum ejus Evangelium, quod causam meam non propono, vel desidero mihi jus dici ex perversitate aut malitia animi, vel prolatandi temporis causa, sed quod necessitas mea ita imperat & exigit.

XIX. Si partes non persequantur causam suam coram Iudicio, quomodo tunc jurare debeant.

Quia etiam fieri potest, ut vel actor sistat se judicio & alteri litem intendat, sed postea desistat lite, nec eam persequatur, vel etiam reus non persistat defendere causam contra actorem responso & contradictione; quapropter tam actori quàm reo subsequens juramentum prælegetur.

Actoris juramentum.

Ego NN. Actor polliceor & juro per Deum & Sanctum ejus Evangelium, quod cæptam hanc processus judicialis causam volo vel ipse, vel p[illegible]andatarium meum & procuratorem, coram Iudicio persequi, & contra adversarium meum continuare. Sed si ita contingere posset [quod Deus avertat] ut ego caderem causâ,

causâ, obligo me ad solvendum reo omne probabile damnum & expensas, secundum hujus constitutæ Regiæ Nemdæ æstimationem & consilium, absque omni fraude & dolo; & in majorem rei fidem, suppono in certam hypothecam omnia mea bona tam mobilia quàm immobilia, tam quæ nunc possideo, quàm quæ in posterum adquisiturus sum.

Rei juramentum.

Ego N. N. reus aut respondens promitto & juro per DEUM & Sanctum ejus Evangelium, quod inchoatam hanc processus judicialis causam persequi volo contra actorem vel accusatorem meum: atque si Regius Præses & Adsessores talem sententiam pronunciaturi sunt, quod tenear adversario meo omne detrimentum & expensas refundere, eas secundum eorum æstimationem rependam, & actori meo satisfaciam. In majorem rei securitatem obligo in hypothecam omnia mea bona tam adquisita, quàm adquirenda.

XX. De appellatis causis, & quænā illæ sint.

Quamvis omnes regni Sueciæ incolæ spirituales & seculares, ut & peregrini, ad hoc Regium judicium habituri sint certum perfugium; ita ut eis liceat suam querelam, necessitatem & negotium decenter ei insinuare: quia tamen Sueciæ lex non permittit, ut omnes causæ immediatè & absque discrimine cognoscantur à Regio Iudicio; proinde jubemus & mandamus, ut nostri Præsides & Adsessores in hoc sequantur tam Sueciæ Leges, quàm hanc nostram Ordinationem.

Primò debent coram hoc Regio nostro & supremo Iudicio introduci, cognosci & dijudicari omnes appellabiles causæ & negotia, quæ ad nos appellari ac remitti possunt ac debent, sive à Ducalibus Iudiciis aulicis in Ducatibus, secundum Donationum tenorem, sive Iudiciis provincialibus, & Curiis in Regno, à Senatu provinciali in Esthonia, à Consulibus & Senatu Revaliensi, nullis exceptis. Ut tamen in illis observetur ac procedatur, vel ut hic sequitur: nimirum ut causæ appellatæ à Iudiciis Provincialibus & Curialibus in Sueciâ & Finlandiâ non sint infra quinquaginta daleros; sed à Stocholmiæ Civitate non infra centum daleros. Alioqui semper stabitur Iudicum provincialium & Consulum in urbibus pronunciatis sententiis.

Secundò, omnia crimina læsæ Majestatis.

Tertiò, omnia negotia, quæ à Regis Nemda solebant cognosci olim in Regiæ inquisitionis & animadversionis Iudiciis provincialibus [Räfsting Suecicè] *& in Iudiciis directoriis* [Rättareting Suecicè] *Quar-*

Quartò, Illorum quoque causæ hîc admittentur, qui evidenter & satis probare possunt, justitiam illis denegatam esse à territorialibus præfectis, Iudicibus provincialibus, Consulibus & Senatu in urbibus; vel illorum causam diu protractam esse, vel ipsos judices fuisse adversarios, vel in ipsa causa studio partium addictos & suspectos. Qui tamen ita insimulantur, prius citabuntur à Regio nostro Iudicio, atque si rei deprehendantur, isti pœnæ obnoxii erunt, quæ à Nemda secundum causæ circumstantias & gravitatem illis imponi potest. Sed quod ad ipsam rem attinet, à nostra Nemda cognoscetur, examinabitur & judicabitur, ac nequaquam inde rejicietur; nisi notabilis causa hoc postularet.

Quintò, omnium privilegiatarum personarum causæ, præcipuè Equestris ordinus & Nobilitatis, secundum Privilegiorum tenorem; & ut cum illis agatur ex Processus judicialis Ordinatione Örebrogæ approbatâ.

Sextò, Upsaliensis Academiæ causæ, quæ ibi decidi nequeunt, à nostro Iudicio suscipientur, secundum Privilegiorem tenorem.

Septimò, Nostri Præsides & Adsessores etiam parati erunt ad accipiendum illa negotia, quæ nos ipsi ex magni momenti consilio ad eos remittere possumus, potissimùm quæ ad nos ipsos spectant.

XXI. Quomodo Præses & Adsessores erga jus quærentes & simplices se gerere debeāt.

Velut nostri Præsides & Adsessores obligati erunt ad recipiendum, cognoscendum & dijudicandum omnes has enumeratas causas, & è contrario eam authoritatem habebunt, ut denegent illis justitiam, qui cum aliis causis se offerunt, quæ ad hunc Iudicialem Processum propriè non pertinent: Non tamen aliquem temerè à se repellent, præsertim illos, qui forsan tam simplices sunt, ut nesciant, quomodo cum omnibus causis legitimè procedendum sit, & parum scientes sint illarum causarum, quæ ab Regio Iudicio cognosci debent. Ut autem nemo queratur se juris exsortem esse, nostri Præsides & Adsessores eos accommodè & comiter dirigent, ostendentque in quo causa consistat, & alioqui omni modo, quantum in illis est, unumquemque adjuvare in eo, ad quod jus habet. Speciatim tenebuntur ad actoris vel querelam moventis humile desiderium communicare ei literas tam ad Iudices provinciales ac territoriales, Consules & Senatores in urbibus, quàm alios omnes, ut querenti fiat & obtingat, quod legi consentaneum est.

XXII. De citatione & mulctis in judicio.

Volumus insuper Regio nostro Iudicio illam auctoritatem dare, ut, si illi, qui ad jus cuique tribuendum & promovendū constituti sunt, tales deprehendant, qui nolint ultrò dirigi in

causa, quicunque etiam sint, sive superioris sive inferioris ordinis, ecclesiastici vel seculares, præcipuè qui nobis obedientia obstricti sunt, eos liceat coram se citare, & in eos sententiam ferre, sive præsentes sive absentes sint; ita tamen ut nostri Præsides & Adsessores non facilè fidem habeant cujusvis querelæ, nec præproperi sint ad dandam citationem in illum, de quo querela instituitur; sed prius ad illos, quorum res agitur, scribant, & sedulò inquirant in actoris causam, & exspectent ab illis ipsorum excusationem & resolutionem. Sed si vel eorum excusatio non satisfaciat in causa, vel eam prorsus, petulanter aut contumaciter sileant & negligant, poterunt nostri Præsides & Adsessores in eos sententiam ferre, ut ante dictum est; quod etiam ipsi nostra potestate corroborabimus. Atque si pœna redigatur in mulctam pecuniariam, dimidia ejus pars nostro Fisco, altera dimidia pars judicio nostro cedet, non solùm in hoc casu, sed etiam in aliis causis, à Regio nostro judicio decisis, quod istam mulctam inter se æqualiter dividet.

XXIII. Si litigātes partes conciliari velint aut nō velint.

Jubemus etiam & mandamus, ut constituti à nobis Præsides & Adsessores ante omnia operam dent, quomodo litigantes partes conciliare possint, antequam ulterius quid agatur in causa. Sed si vel ipsi ad nullam conciliationem proclives sint, vel causa ita comparata sit, ut non debeat componi, illam ad se admittent.

XXIV. Ordo à partibus ipsis vel procuratoribus observandus in causæ propositione.

Quando jam permittitur actori & reo vel respondenti, ut vel ipsi, vel per suos mandatarios & procuratores causam in judicium deducant, ambo tam principales quàm procuratores hæc sequentia observabunt: primò fundamentaliter perspicuis & claris verbis non solùm oretenus, sed etiam scripto libello proponent ipsumFactum, & quomodo illud acciderit, ex quo ipsa Actio fluit & veram suam originem habet. Et quando ipsum negotium ita cum suis circumstantiis narratum est, proferent suam petitionem ac desiderium, & quid putent se jure quærere. Sed si causa appellata sit, prius referent, quod omnia formalia & requisita appellationis, in Legibus *Sueciæ* expressa, benè observarint: hoc est, quod probare debeant, se legitimè appellasse, non solùm justo tempore, sed etiam ab uno judicio ad aliud, ut Codex Legum ab illis exigit. Deinde vel de integro repetent totam causam, prout eam in territoriali & provinciali judicio, ut & coram Consulibus ac Senatu prius egerunt, vel proponent eam alio modo, quàm commodissimè fieri potest, & cōclusionis loco petent de ea convenientem sententiā ferri. *XXV.*

XXV. Quomodo partium libelli debeant formari.

Velut autem respondenti vel ejus mandatario ex parte molestum accidet, ut confestim fundamentale aliquod responsum det ad actoris insinuatū scriptū conventionis libellū, antequam illud meditatus sit, ideò actor semper in parato habebit duos paris tenoris libellos, quorum unum insinuabit judicio, alterum tradet reo, si hoc cupit. Utriusque verò tam actoris quàm rei libellus ita formabitur, ut ad causæ pompam & ornamentum non prolixè allegentur peregrinarum nationum Leges, usus & consuetudo. Non tamen prohibitum erit, ut secundum necessitatem & ad melius informandos judices citentur divinæ & Sueticæ Leges, ut & Regni Recessus & Decreta, laudabilis praxis & cōsuetudo, quæ facere possint ad causæ firmamentum, augmentū & illustrē explicationē

XXVI. De dilatione.

Quoniam etiam in causis judicialibus usuvenire solet, ut tam actor, quàm reus petant dilationem, & referant se ad testes vel alias rationes ac probationes, quæ non tam prope adsunt, ob quam causam sententiæ pronunciatio protollenda & partibus dilatio concedenda est: Proinde nostris Præsidibus & Adsessoribus hanc potestatem & auctoritatem damus, ut vel ad partium desiderium, vel per seipsos ratione officii sui permittant dilationem; ita tamen ut juxta præfigatur partibus certum tempus, quando iterum tenebuntur cum liquidis documentis se sistere judicio, & sibi invicem respondere.

XXVII. De Sententiâ & qualis processus servandus sit, antequam ea feratur.

Quando actor & reus utrimquè plenè insinuarunt Iudicio suos libellos & documenta, sic ut nihil aliud desideretur, quàm ut sententia feratur, nostri Præsides & Adsessores non erunt præcipites & nimis celeres ad eam pronunciandam, sed sequenti modo in eâ procedent & ita se gerent.

XXVIII. Primò indicabitur litigantibus partibus, ut excedant Iudicio cum omnibus aliis, quorum negotium hîc non agitur, ita ut nulli ibi remaneant, exceptis nostris Præsidibus, Adsessoribus, Secretario & Actuariis.

XXIX. Si causa minoris momenti sit, ut absque prolongatione & majori deliberatione statim sententia de ea ferri possit; secundum nostri Præsidis & Adsessorū consiliū sententia à Secretario calamo concipietur, & in utriusq; partis præsentiâ palā recitabitur.

XXX. Sed si causa tanti momenti ac ponderis sit, ut videatur egere majori & ulteriori deliberatione; Secretarius cum

Actuariis prius Acta in mundum rediget, & diligenter conferet ac perleget. Quando hoc factum est, illa tradentur duobus Adsessoribus ad referendum, ita ut initium fiat ab ultimis in unâ causâ, in alterâ causâ à proximis, donec ad primos ordine perveniatur. Et tenebuntur illi, quibus Acta secundum ordinem ita tradita sunt, hoc non denegare, sed Acta ad se recipient, & summâ cum industriâ ea perpendent, & postea in omnium Collegarum & Adsessorum præsentiâ eorum contenta & summam referent.

XXXI. Speciatim in causis appellatis, tenentur isti duo Referentes Assessores significare, num illa Sententia, quam vel territorialis vel provincialis judicii Præses, vel Consules & Senatus in urbe prius in iisdem causis tulerunt, fundata sit in Sueciæ Legibus, eisque conformis, vel non sit. Iidem brevissimè & ordine referre debent, qualem actionem moverit actor, & quale ejus petitum fuerit, & quid respondens contra illud exceperit, & deinde omne illud quod ab utrisque partibus dictum est ab initio usq; ad finem: præcipuè quod spectat ad principalem causam; & simul num omne illud justè vel injustè factum fuerit.

XXXII. Quando totum negotium ita summariè à duobus illis Adsessoribus relatum est, omnia Acta de novo, à verbo ad verbum, in totius Collegii præsentiâ prælegentur, si ita necesse fuerit, & Præses judicii post factam relationem et Actorum prælectionem primò quæret ex duobus illis Adsessoribus, in quo, secundum eorum judicium, tota causa consistat, quæ ipsorum sententia de eo sit, quibus fundamentis, rationibus et argumentis velint ac possint ex lege eam propugnare et defendere. Postea omnes cæteri Adsessores ordine unà cum Præside pari modo non solùm sententiam suam nudè declarabunt, sed etiam quas ad illam rationes habeant.

XXXIII. Quod ita vel omnes, vel major eorum pars, secundum accuratam causæ pensitationem et suffragia concludunt et approbant, hoc erit Sententia. Sed si inter se dissentiant, et æquales numero in qualibet eorum parte, tunc illorum sententia prævalebit, qui optimas rationes habent, et quibus Præses noster assentitur: ita tamen, ut si nos ipsi in loco simus, teneantur duo Adsessores, antequam palam coram partibus sententiam suam pronuncient, nobis prius significare; uti quoque, quando conveniunt ad ante dictum Processus Iudicialis terminum, obligati erunt nobis indicare, quæ causæ ad Regium nostrum judicium remissæ sint.

XXXIV.

XXXIV. Sed si ita fieri posset, ut post factam relationem & Actorum prælectionem, unus aut plures Assessorum adhuc ulteriorem desiderarent dilationem ad Acta perlegendum & causam melius ponderandum; unicuivis hoc permittetur, & interea votorum aut suffragiorum collectio , & Sententiæ conceptio suspendetur.

XXXV. De beneficio revisionis.

Licet Sueciæ Lex velit, ut nemini liceat appellare ab hoc Regio & Aulico nostro Iudicio; & illa Processus Iudicialis Ordinatio, quæ örebrogæ approbata est, jubet, ut ille, qui Regii nostri Iudicii Sententiam impugnat, reus sit mulctæ centum dalerorum: quia tamen supremam Iurisdictionem super omnia Judicia in Suecia habemus, & nos decet de omni causâ veritatem indagare, ut & retractare omne vitiosè aut nimis rigorosè exactum vel dijudicatum: idcircò ei, qui se gravatum sentit Regii nostri Iudicii pronunciatâ Sententia, licet, non per aliquam appellationem, sed per supplicem libellum gravamen suum notificare, & frui apud nos beneficio Revisionis; ita tamen ut statim intra octiduum deponat in Iudicio ducentos daleros, qui Iudicio addicentur , sive pronunciatam Sententiam approbemus & confirmemus , sive minus.

XXXVI. De exsecutione Sententiæ.

Quia Exsecutio est una supremarum & præcipuarum partium, quæ faciunt ad juris & justitiæ firmamentum & promotionem, & nos ante omnia summopere optamus ac volumus, ut crescat & vigeat; contra verò, ut omnis injustitia & falsitas deprimatur & auferatur : ideò seria nostra voluntas & mandatum est, ut noster Præses & Adsessores, postquam sententia lata est, victo certum tempus constituant, intra quod tenebitur exsequi, ad quod per sententiam condemnatus est , sub gravi mulctâ pecuniariâ.

XXXVII. Si victus non exsequatur, ad quod damnatus est.

Cæterum si victus non exsequatur latam sententiam, sed adversarium suum contumaciter detineat; noster Præses & Adsessores potestatem habebunt, ad victoris humile desiderium, scribendi ad Gubernatorem, Prætores, & consules ac Senatores,

sub quibus bona, de quibus partes litigant, sita sunt, vel etiam ipsa persona, contra quam sententia lata est, domicilium suum habet, ut querenti obvenire faciant, quod jus & Leges volunt. Et ut Sueciæ Leges satis exprimunt & declarant, quomodo legitimè conveniri debeat tergiversans nec prodiens; ut & qui sententiæ latæ non parere & satisfacere vult, sive ea sit de bonis soli, sive ære alieno, injuriis, inito contractu, vel cujuscunque nominis sit; jubemus etiam, ut Gubernatores, Prætores, Consules & Senatores in hoc passu convenienter se gerant Sueciæ Codici Legum in lucem edito.

XXXVIII. Si Gubernatores, Prætores, Consules & Senatus non exsequantur Regii Iudicii Sententiam.

Si Gubernatores, Prætores, & Consules ac Senatores in hoc negligentes deprehendantur, ita ut respectu personæ alicujus dignitatis, vel odio & invidiâ adversus victorem causæ, vel ex alia irrationabili causâ nolint permittere & cooperari, ut lata Sententia debitæ executioni mandetur, multò minus curent nostri Præsidis & Adsessorum monitum ac literas, & de eo querela instituatur; incident in maximam nostram offensam & inclementiam, removebuntur ab officio suo, & nunquam illud recipient, & insuper subibunt eam mulctam, quam noster Præses & Adsessores eis imposituri sunt. In rei fidem hæc propriâ manu Regia subscripsimus, & scienter infra apponi fecimus Sigillum nostrum. Datum & scriptum in Regia nostra Arce Stocholmiæ. Anno millesimo, sexcentesimo decimo quinto, vigesimo tertio Iunii.

GUSTAVUS ADOLPHUS.

R.a M.tis

EDICTUM

Concernes Revisionem super Justitiæ Causis.

ANNO M. DC. LXII.

Nos CAROLUS, Dei gratia, Sueonum, Gothorum & Vandalorum Rex & Princeps hæreditarius, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vendæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; ut & Comes Palatinus ad Rhenum in Bavariâ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux etc. Notum facimus, quod etiamsi ex singulari zelo & cura legitimæ justitiæ administrationis indulsimus litigantibus partibus, quæ per judicii Nostri Aulici sententias opinantur se notabili præjudicio gravatas esse, hanc libertatem, ut eis liceat adire Nostram Revisionem, & ulteriorem dijudicationem; animadvertimus tamen summâ cum displicentiâ, quomodo unus & alter eodem concesso Nostro beneficio abutantur, dum absque consideratione causæ qualitatis, sive sit exigua, evidens & indisputabilis, sive ejus ponderis ac momenti sit, ut eâ gravandi simus, indistinctè Nos eâ interpellant, onerantes Nos insuper novis documentis & rationibus, quas in inferioribus instantiis, vel malitiâ vel negligentiâ conticuerunt, facientes ita ex beneficio à Nobis concesso novam instantiam, quod tamen nihil aliud est, quàm judicatorum Actorum revisio & accuratius examen. Hoc etiam Nobis non parum tædiosum accidit, dum comperimus, quomodo Revisionem quærentes partes, postquam eâ potitæ sunt, totum negotium deponunt, ut otiosum, ab uno anno ad alium, & interea vel comparandæ Citationis, & Actorum confectionis, vel causæ urgendæ ne minimam quidem curam habent: sed ubi Revisio progredi debet, cogitur ille qui sub Revisionem tractus est, hujusmodi difficultates in se recipere; quod tamen in seipso irrationabile est. Velut ergo videmus, quod sub hujusmodi processu manifesta exercetur malitia partium, sperantium se hoc modo litem in longum protrahendo adversarium suum defatigare posse, eique denegare, quod ei secundum leges & rationes jure competit. Proinde satis causæ habuimus hujusmodi incommodis occurrendi & convenientibus mediis prævertendi. Sancivimus itaque & ordinavimus, prout hoc ipso sancimus & ordinamus:

I.

Quicunque in posterum quæsitum it Nostram Revisionem, in-

in judicio Noſtro aulico, antequam Appellationis pecuniam ibi deponat, præſtabit juramentum ſuum oretenus aut ſcripto, quod quærat dictam Reviſionem non ex malignitate vel vindictæ cupiditate, vel animo protrahendi tempus & cauſam fruſtra detinendi, ſed quod non aliter intelligat, quàm ſe juſtam intendere litem, & quod actionem ſuam poſſibili diligentiâ perſequi velit.

II.

Quia ſæpe percipimus, quod ipſe principalis poſſet & vellet contentus eſſe ſententiâ in judicio noſtro aulico pronunciatâ, ſed non raró ad Reviſionem inſtigatur à procuratore, cui volupe eſt, cauſam ad prolixitatem perducere. Proinde Procuratores quoque jurabunt, quod non aliter intelligere poſſint, quàm eorum principalem juſtam habere cauſam, & ſatis rationis eam ſub Reviſione perſequendi; & quod nullâ verſutiâ, doloſo mendacio, vel aliis malis artibus uti velint, quibus tempus produci & cauſa offuſcari poſſit.

III.

Quamvis rationem haberemus nō ulterius in conſiderationem vocandi illas partes, quæ ante complures annos, tam antea, quàm R. M.tis Reginæ Chriſtinæ, & Noſtri Domini Patris glorioſiſſimæ & beatæ memoriæ imperii tempore, quæſiverunt Reviſionem, ſed poſtea illam non ulterius perſequutæ ſunt; nihilominus tamen, ut nemo cauſam querelæ habeat, adhuc conceſſimus iiſdem certum tempus, intra quod ſe Nobis indicare, & ad adverſarios ſuos Citationem deſiderare, & Acta inſinuare poſſint: nimirum habitantibus ſub Sueonum, Gothorum & Finnonum judiciis aulicis trium menſium ſpatium, ſed in Livonia & Eſthonia habitantibus ſex menſium ſpatium, à tempore inſinuati hujus Edicti dati in Iudicio Aulico. Si quisquàm tam negligens eſſet, ut hoc tempus non obſervaret, à Nobis non amplius audietur, ſed lata Iudicii Aulici ſententia in rem judicatam ibit, ſecundum quam Exſecutio inſtituetur, & partes præterea tenebuntur adverſario ſuo ad refuſionem damni, expenſas & negligentiam, ſuper quod dicta Noſtra judicia reſolutionem ſuam dabunt. In quo caſu communicabimus querenti parti noſtrum Atteſtatum de neglectâ Reviſione.

IV.

Qui de cætero in animo habent quærere Noſtram Reviſionem, in judicio Noſtro Aulico intra octiduum Reviſionem petere, pecuniam Appellationis deponere, & Atteſtatum accipere debent

debent: Quod quando factum est, illi de Sueonum, Gothorum & Finlandorum judiciis aulicis intra tres menses, sed de Livoniæ & Esthoniæ superioribus judiciis provincialibus intra sex menses, computando à sententiæ latæ die, se sistent nostræ Cancellariæ, & postea super introducta Revisione capient probationem, sub regni Drotseti nomine, si præsens sit; si non, sub alterius regni Senatoris manu, qui vices ejus sustineat. Obligatus etiam erit actor intra idem tempus petere citationem ad adversarium suum, ut & compulsariales pro edendis actis, & curare, ut Acta justo tempore Nobis insinuentur, & Revisionis Secretarius habeat istæc perlegendi tempus & extrahendi, priusquam citationis terminus incidat: prout etiam Nostris judiciis aulicis incumbet, pro consueta solutione, curare eadem Acta absque mora in mundum redigi & Nostro jussu extradi; nisi ex neglectu teneri velint.

V.

Quando præfixus citationis dies incidit, ambæ partes se absque negligentia in Revisionis judicio comparebunt, & assiduè quovis Revisionis die apparebunt, donec Nobis occasio detur causam cognóscendi. Cæterum si aliis imperii curis districti essemus, quo tempore Revisionis tempus incidit, partibus novum terminum proponemus, quo se sistere, & assiduè apparere debent, ut dictum est, donec causa ad judicandum suscipiatur. Quisquis illud absque legitimis impedimentis negligit, hoc ipso à beneficio Revisionis excludetur, nec ad illud ulteriorem accessum habebit, sed obligatus erit ad refundendum adversario expensas suas, acceptum damnum & jacturam temporis, in eo permanens de quo judicium aulicum sententiam tulit.

VI.

Partibus tamen eo ipso non præreptum aut prohibitum erit quærere omnia convenientia transactionis media: quoniam libenter optamus, ut eorum controversiæ isto modo finiri possint, modo hoc Nobis significetur per Attestatum ab utraque parte subscriptum, vel aliàs publico sigillo verificatum.

VII.

Velut memorata Nostra Revisio nihil aliud est, quàm Examen Actorum prioris Instantiæ, ita quoque non permittetur, alia documen

menta insinuari, quàm quæ in Judicio aulico & inferioribus instantiis usurpata fuerunt; nisi nuper inventa sint, & ejus conditionis esse probari possit, ut antea ad manus esse non potuerint.

VIII.

Ubi partes cupiunt insinuare summariam deductionem Actorum breviter extractorum, utrimque hoc illis permittetur, dummodò in eam nihil novi, quod prolixitatem & causæ dilationem parere possit, introducatur; nec ea deductio unâ, vel unâ cum dimidiâ philurâ longior erit, & concipietur in lingua nostra Suetica, & partibus communicabitur, ad inspiciendum & perlegendum duntaxat, si hoc ita desiderent, sed non ad illam scripto respondendum. si verò aliquid ei inesset, ad quod speciali responso opus esset, hoc oretenus fiet, quando causa agenda suscipitur.

IX.

Si quis partium causâ ceciderit in duabus inferioribus instantiis, & quoque in judicio Nostro aulico, & tamen quærat causam devolvi sub Nostram Revisionem; ille tenebitur realem præstare fidejussionem, potissimum si deprehendi possit, quod magis ex malitiâ, quàm probabili jure intendat adversarium suum in processu detinere.

Atque sic ista sunt, quæ volumus tam à judiciis Aulicis quàm partibus in Revisionis actu quæsito & administrando observari deberet. Quæ omnia illi ad quos hæc quocunque modo spectant, sequi tenentur. In majorem rei fidem hæc Regio Nostro Sigillo, & honoratissimæ atque dilectissimæ Nostræ Dominæ Matris, unà cum reliquorum Nostrorum & Nostri Regni respectivè Tutorum & Regiminis subscriptione confirmata sunt. Datum Stocholmiæ die 28. Junii, Anno 1662.

Hedewig Eleonora

Locus Sigilli.

Petrus Brahe, Comes Wisingsburgi, S.R Drotsetus. *Laurentius de Linde, R. Marschi loco.* *Claudius* Bielkenstierna/ *R. Ammiralii loco.*

Magnus Gabriel de la Gardie, S. R. Cancellarius. *Gustavus* Bonde/ *S. R. Thesaurarius.*

JU-

JUDICUM REGULÆ,

vel

Quædam Generales Regulæ, secundum quas Iudex officium suum dirigere debet.



IUdex primò considerare debet, quod est Dei mandatarius, & officium, quod gerit, est Dei, non ipsius; ideò judicium & sententia quam pronunciat, est quoque Dei, quia pronunciatur in Dei officio & Dei nomine; ita ut verè sit Dei judicium, non hominum. Quapropter interest Iudicis, ut cautè agat, ne Dei nomine falsam sententiam aut judicium ferat; quo seipsum damnat ad æternam condemnationem: dum abutitur Dei judicio & mandato ad vim & injustitiam, quod ad justitiam à Deo institutum est. Sed si voluntatem habeat rectè judicandi, & cognoscat diligenter causam secundum extremum suum intellectum & jus, & tamen, propter imprudentiam suam, non potest quod justum est investigare, aliquo modò excusandus est, quod devenerit ad falsò judicandum & quidem contra voluntatem suam casu quodam, non verò deliberato animo, atque si pœna subsequi debeat, debet facti casualis mulcta esse.

I. Quia Iudex sequitur Dei mandatum ad rectè judicandum, ideò oportet illum omnem operam dare, ut sciat quid jus sit. Quum enim ille non sit idoneus Sacerdos, qui nescit quid in S. Scripturâ contineatur & quod sit ejus fundamentum & sensus; ita quoque is non est habilis Iudex, qui ignorat contenta Legum, earumq; fundamentum ac mentem & modum eis utendi. Quapropter periculosum est cum illis & apertam faciunt iniquitatem, qui illum emittunt pro Iudice, qui imprudens juris est. Quomodo enim illi rectè judicarent, qui nesciunt quid juris sit? Et qui tales imprudentes judices emittunt, metuendum habent, quod certò fiant participes falsi judicii & sententiæ latæ. Ipsi quoque aggrediuntur periculosæ opus aleæ, qui in se recipiunt Iudicis officium, & tamen illud administrare nequeunt.

II. Judex etiam hoc cogitare debet, ut velut ipse est Dei manda-

mandatarius, ita quoque populus, quem judicare debet, est Dei populus; sic ut cum Dei, non proprio mandato, judicet Dei, non suum populum. Itaque sic judicabit, velut respondere vult coram eo, cujus est iste populus.

III. Pensitabit insuper, quod judicis officium communis populi utilitatis causa, non verò judicis utilitatis causa constitutum sit; ideò utetur eo in commune bonum, non proprium commodum; quamvis etiam in ejus bonum cedat, si rectè usurpetur. Commune tamen bonum potissimum quæret: Judex enim populi, non populus judicis causa institutus est.

IV. Ex modò dictis patescit, quod periculosè cum illis agatur coram Deo, qui omnes Leges eò detorquent, ut ingentes mulctas accipiant: Leges enim non mulctarum, sed juris causa latæ sunt; in usum & emolumentum populi, non illegitimum ejus censum, damnum & detrimentum. Atque illi Prætores & mandatarii, qui hoc unicè agunt, ut Dominis suis magnas procurent mulctas, iidem sunt perniciosi eorum inimici: quod enim tam injustè corraditur, hoc aufert omne à domino justè adquisitum. Idcirco dominus non habet tam damnosos hostes, quàm proprios suos prætores. Unus enim nummus male partus, decem bene partos secum abripit: proinde nemo Domino suo majus detrimentum adferre potest, quàm quum ejus penuario infert injustas mulctas: omnia enim justè parta bona istic ante recondita secum extrahit; & ut in proverbio dici solet: Robustam oportet esse seram, quæ continere intus possit injustè adquisitos nummos: Et, quod cum peccato adquiritur, cum dolore dilabitur. Hujus rei causa & culpa hæc est, quando Deus, qui instituit judicium, videt, hoc ita in abusum deduci, ut quis eo proprium suum commodum quærat, quo communis utilitas quærenda esset, atque eo vis exerceatur, quo vis prohibenda esset, eò rem sinit pervenire, ut, quod putamus nobis lucro fore, hoc maximo nobis damno sit; & hoc est avaritiæ nostræ verum præmium. Præter hoc Deus nobis excitat bellum, vel alias damnosas expensas, quibus bene & male parta bona consumuntur: quod jure fit, dum violentiâ utimur in eum, quem à violentia tueri & protegere debebamus; atque si per vim pecuniam adquiramus, oportet eos advenire qui vim iterum in nos exerceant, utque per vim expendatur, quod per vim illatum est.

V. Qui huic rei fidem habere negat, ille per experientiam hoc percipere cogitur. Deus violentiam non impunitam relinquit,

quit, præsertim quando illi eâ utuntur, qui officii causa eam prohibere & propellere debebant. Proinde quivis Dominus cautè & sapienter dispiciet, quem emittat pro prætore, & sic eum alloquetur: Egrediaris & sis mihi fidelis, nec ullum injustum nummum aut injustam mulctam ad manus meas pervenire sinas: quâ mihi damnum adfers. Et hoc ita dictum esto de illis qui detorquent legem ad captandum mulctas, quibus multis egenis vim & injuriam faciunt; sed de legitimis & rationabilibus mulctis illud non dictum & intellectum est.

VI. Iudex accuratè debet scire leges, secundum quas judicare tenetur. Lex enim ei pro normâ erit.

VII. Omnes Leges ita comparatæ erunt, ut serviant communi bono. Si verò quædam lex perniciosa esset, non amplius lex sed iniquitas esset, meritò abroganda.

VIII. Bonus & moderatus judex melior est, quàm bona lex: ille enim legem secundum rei circumstantias temperare ac dirigere potest. Ubi malus & injustus judex est, bona lex non prodest: ille enim detorquet legem, & injustè facit secundum animum suum.

IX. Quod non est rationis, non potest esse legis: Lex enim valet propter rationes.

X. Omnis lex cum moderatione urgeri debet: Summum jus enim est summa injuria, & clementiam oportet cum jure esse conjunctam.

XI. Lex non approbat omne, quod non plectit: non enim omnia delicta in lege enumerari possent.

XII. Iudex observabit in omni lege, quod propositum & intentio fuerit ferentis legem. Alioquin in abusum & in alium sensum detorquetur, quàm ejus sententia erat, qui ferebat legem.

XIII. Salus populi suprema lex est, itaque quod cedit in utilitatem populi, hoc pro lege haberi debet, etiamsi scripta lex quoad verba aliud sonare videatur.

XIV. Regionis consuetudo, si non sit irrationabilis, vim legis habet, secundum quam judicari possit.

XV. Prava consuetudo nemini prodesse debet, hoc est, Nemo potest eo causam suam tueri vel juvare, quod dicit: Multos esse qui ita fecerint, ut ille fecit; quia deprehenditur, contra legem esse, quod ille fecit.

XVI. Communia proverbia sæpe usurpantur pro lege, quæ etiam ipsa lex sunt, qualia sunt subsequentia: 1. *Qui*

1. *Qui pro alio cavet, solvere tenetur.*
2. *Minæ sunt extra mulctam, non tamen omni loco.*
3. *Invidus non debet testari.*
4. *Conventio frangit legem.*
5. *Illegitimè adquisitum pro non adquisito habetur.*
6. *Non est compensandum malum eo quod dimidio deterius sit.*
7. *Nemo potest esse judex in propriâ suâ causâ.*
8. *Secundum unius sermonem nemo damnari debet.*
9. *Infamus homo non debet testari.*
10. *Qui primus cædit, delinquit.*
11. *Voluntas & vis non est jus.*
12. *Non omne verum est, quod verisimile est.*
13. *Quisque sibi proximus est.*
14. *Quod quis libenter cupit, id libenter testatur ac defendit.*
15. *Lege cum alio, non percussione utendum est.*
16. *Qui non habet in ære, luat corpore.*
17. *Cognita causa æquè bona est, atque testata.*
18. *Factum infectum fieri nequit.*
19. *Quo quis delinquit, eodem plectetur.*
20. *Qui libertate sua abutitur, dignus est qui eam amittat.*

Et plura alia hujusmodi publica proverbia pro lege usurpari solent, secundum quæ judicari possit. Talia enim communia adagia sunt instar aliarum regularum, & fundamenta quædam, ex quibus Leges depromptæ sunt, quæ Iudicem scire oportet.

XVII. Quod Rex cum ratione jubet, hoc habebitur pro lege, & in quod populus consentit.

XVIII. Ille facit contra legem, qui facit contra legis mentem; etiamsi videatur facere secundum verba legis. Et tale quid sæpe fit hîc in Sveciâ, ubi lex detorquetur secundum mulctas, & parum pensi habetur mens ejus ac sententia qui legem condebat. Vis & injuria quoque hîc multum potest.

XIX. Omnis lex condita & instituta est juris & rationum causa, non verò propter mulctam. Mulcta enim supplicium vel pœna est, in illos statuta, qui transgrediuntur legem. Lex autem potius inviolata manere quàm violari vellet; & mallet, nullis mulctis opus esse.

XX. Ubi non exstat scripta lex, in isto casu licet regionum rationabili consuetudine pro lege uti, & secundum eam judicare.

XXI. Æquale delictum requirit æqualem pœnam, ideòque non

non respiciendum est ad alicujus paupertatem aut divitias, sed tam unus, quàm alius puniendus est, ubi par delictum est.

XXII. Judex mansuetè loqui debet cum sistentibus se judicio: quod nisi faciat, suspectus habetur, quasi non rectè judicaturus sit: & hanc suspicionem ille capit contra eum, qui duro & inimici sermone incessitur. Non enim quis eâ de causâ venit ad judices, ut ab illis laceretur verbis, sed ut jus suum quærat. Sed si causa ita affecta sit, ut quendam partium verbis castigari oporteat, hoc post causam cognitam, & pronunciatam sententiam, non prius fieri debet.

XXIII. Quando judex considet coram judicio, nulli partium irascetur. Nam

Impedit ira animum, ne possit cernere verum,

& quod justum est in causâ.

XXIV. Judex non nimis properare debet ad judicandum, antequam causam bene perpenderit: præceps enim judicium rarò bonum & rectum est.

XXV. Nulla res judici tam necessaria est, quàm animi moderatio ac discretio, ut sciat quando severus, & quando mitis in lege esse debeat; omnis enim pœna in emendationem esse debet, & talis, ut, si fieri possit, non impediat punitum ad resipiscendum. Velut fieri solet cum furibus, qui stant ad palum ignominiæ, privantur auribus & relegantur ex urbe; si tales abeant in peregrinam terram, ubi nemo novit eos, atque postea resipiscere velint & honestam agere vitam, nunquam eis aliquod officium committitur; atq; sic illa pœna eis impedimento est: unde in desperationem incidunt & deteriores fiunt, quàm ante erant; ideoq; præstitisset, si statim vitâ privati fuissent. Idem fit cum meretricibus, quæ flagellantur ad palum ignominiæ & relegantur, illæ, quæ prius cum uno aut duobus consuetudinem stupri habebant, postea publica & omnium scorta fiũt, atque hoc supplicium non vergit ad emendationem vitæ, sed præbet occasionem in pejus peccatum prolabendi, quàm ante. Idcircò judex in talibus casibus discretione uti debet, ne quis capiat malum, & illud dimidio deterius reddat. Lex autem semper exigit emendationem, & eò dirigi debet.

XXVI. Judex non nimis festinabit ad damnandum aliquem, ut per hoc alicujus existimatio & bona fama lædatur. Idcircò isti valde inhumaniter faciunt, imò injustè, qui honestum & bonæ famæ virum aut fœminam publicè diffamari patiuntur, & cogunt illum aut illam purgare se legali juramento, ut eo modo mulctas accipiant; licet non ullam rationem habeant eis purgationis juramentum imponendi. Tales judices directè contra suum officium faciũt.

Iudi-

Judicum enim officium hujusmodi est, ut semper sint proniores ad juvandum, quàm præcipitandum, & ad tuendum boni viri honoré ac honestum nomen, non verò denigrandum; nisi causa per rationes & probationes tam manifesta facta sit, ut nulli defensioni locus sit. Quapropter est damnabilis res, quam Deus severè puniturus est, si ita quærantur mulctæ, ut boni viri existimatio & fama per eas laceretur. Id quod Suetica Lex planè improbat, quæ non permittit, ut quis facilis sit ad credendum, in quo agitur hominis honor ac vita, nisi sex virorum testimonium adsit. Unde evidenter patet, legem nolle †, ut quævis vaga & incerta fama mereatur fidem, ideò ad tot testes rem remittit. († c. 20. Tina.

XXVII. Manifestè iniquum est, & multum mali inde oriri potest, si judex propter levem rumorem, aliquem compellat ad se legali juramento purgandum, nisi aliæ præsumtiones adsint. Quippe alicujus viri inimicus facilè malam famam excitare & in vulgus spargere potest, invidiæ vel malevolentiæ causa. Apertè & ob oculos versatur, quoties plures falsi rumores oboriantur, & latè vagentur; si ergo illi, qui tali famâ onerantur, confestim cogendi essent ad se purgandum, magna ipsis fieret injuria. Ille potius compellendus esset ad hoc probandum, qui talem famam evulgat.

XXVIII. Iudex non facilè admittet aliquem ad purgationem sui canonicam vel legalem, nisi necessitas eum ad hoc cogat. Sed potius alia media quæret ad eos placandum, inter quos causa vertitur. Verendũ enim est, ubi sæpe juramentũ purgationis præstatur, ne ibidé sæpe quoq; perjuria committantur, quod judici incũbit prohibere, præsertim hîc in Suecia, ubi vulgò valde proclives sunt ad jurãdũ.

XXIX. Ubi actor non habet rationes probandi vel graves præsumptiones ad actionem vel accusationem suam, ibi respondentis negatio æquè valet, atque actoris affirmatio, nec cogi potest ad se purgandum. Sed si actor aliquam rationem, probationem aut præsumptionem, vel unum testem secum habeat, ejus affirmatio melior est, quàm respondentis negatio, & tunc ad se purgandum reus vel respondens admitti potest. Quod si non ita sit, respondenti injuria fit, si compellatur ad purgationis juramentum quod non statim ei imponi potest, si alicujus facinoris insimuletur nisi accusator semiplenam probationem habeat, quâ ei imponi potest juramentum purgationis. Nam contra manifestas rationes & testimonia nemo admitti debet ad juramentum, sed tunc damnatur ad principalem causam. *Sed cujus insimulatur semiplenâ probatione, ab hoc se Lege purgare potest.*

XXX.

XXX. Ubi accusator non alias habet rationes suæ accusationis, sed juramento suo jus suum tueri cupit, hujusmodi juramento non potest respondentem aut reum urgere ad se juramento purgandum: Iuramentum enim contra juramentum non admittitur, nec juramentum stat à parte actoris vel accusatoris, sed rei vel defensoris parte. Juramento enim se quis defendere, nec accusare alium debet, & nemo sibi pecuniam adjurare potest.

XXXI. Si quis arguatur atrocioris criminis vel alterius gravis facinoris, quod concernat alicujus vitam aut existimationem, nec hujusmodi rationes ac documenta adsint, quibus convinci possit facinoris, nec possit admitti ad sui purgationem, codex legum vult hoc differendum esse & remittendum ad XII. virorum Nemdam; qui si eum absolvant, absolutus erit, si damnent, damnatus erit. † Sed causa nonnunquam tam cæca & obscura est, ut Nemda dicat se vel absolvere vel damnare suspectum non posse, & causa tam postea, quàm antea minus liquida est. Sed hoc non rectè dictum est: si enim eum condemnare non possint, satis absolutus est, & dimitti debet. qui enim facinoris convinci nequit, liber erit. Et quale jus illud est, quod ille vexandus aut accusatione gravandus esset, qui non posset convinci facinoris? Semper etiam procliviores judices erunt ad juvandum aliquem, quàm evertendum. Itaque pro universali Regula hoc habendum est in omni processu judiciali, quod, ubi tam intricata & obscura causa est, ut inde erui jus non possit, accusatus absolvi debet, etiamsi reus esset: Præstat enim nocentem absolvere, quàm innocentem damnare. Iudex neminem damnare debet, nisi manifestas rationes ac probationes pro se habeat: si secus faciat, vis & iniquitas est, ipsi non bene cessura.

† *c.* 34. Ting.

XXXII. Quia vulgus hîc in Suecia valde procinctum est ad compurgationis juramentum præstandum, par esset, ut judices provinciales hujusmodi compurgatores interrogarent, quid rationis haberent ad jurandum simul cum alio, num ipsi præsto fuerint, & noverint eum innocentem esse, vel alia verisimilia habeant, super quæ jurare possint. Judex autem non nimis præceps erit ad admittendum compurgatores, nisi prius investigarit, tales esse viros, qui admitti debeant.

XXXIII. Ubi reus aut respondens rationes probabiles vel testes pro se habet, quibus repellere ac refutare possit accusatoris actionem, injustum est, ut ei insuper purgationis juramentum impona

ponatur. Oportet enim eum testimoniis ac probationibus frui, si rationabiles sint & judex eas approbare possit. Sed ubi rationes non satisfaciunt, dicto juramento locus est. Et ubi quis rationibus & testibus se defendere nequit, defendet se legali juramento.

XXXIV. Qui compurgatores alterius sunt, hoc vel alio modo jurare solent: ita precor Deum mihi propitium, quod ejus juramentum purum ac verum, non falsum est. Tale periculosum est juramentum; nisi meliorem rei præcognitionem habeat, & metuendum est, ut multa perjuria fiant, per quæ Deus summè offendatur, quod judex prohibere debet. Idcircò compurgatores singuli tale vel simile juramentum præstabunt: Precor ita Deum mihi propitium, quod ex illis rationibus & præsumptionibus, quas scio de hac causa, & ex illâ consuetudine & conversatione, quam habui cum hoc viro, credo ejus juramentum esse purum & verum, non falsum. Atque sic compurgatores possint rectè jurare, non pejerare, licet principalis ipse pejerarit; & sic præstat Dei offensam minorē esse, cum unus perperam jurarit, quàm si plures pejerarint. Quando ergò sex vel duodecim, plures vel pauciores, boni & fide digni viri jurarunt, quod credant illum, qui insimulatur facinoris, insontem esse; judex illum, secundum eorum fidem, absolvet, & ita sententia fundatur in proprio principalis juramento, & illorum fide vel credulitate qui cum eo jurant; & hoc satis rationis ac fundamenti erit ad eum absolvendum. Et quando tale juramentum postea disputatur, nemo perjurus fit, nisi principalis, cujus præcipuè negotium geritur; nisi probari possit, quod aliquis compurgatorum sciverit, principalem esse reum, tunc ille, re sic comperta, perjuri erunt, & digni supplicio.

XXXV. Omnia judicia confirmabuntur manifestis documentis & probationibus: non debet enim judex sententiam ferre absque rationibus & probationibus. Actore non probante, reus absolvitur; actorem enim oportet actionem suam fundare in documentis & probationibus.

Non semper de facinoribus, quatenus facta sunt, judicandum est, sed considerandum est, qua intentione facta sint ab auctore; num ex proposito, vel non. Ideò non semper is furti argui potest, qui ab alio clam aliquid alienat: contingere enim potest, quod aliquis per errorem abstulerit, putans esse suum, quod tamen illius non erat, vel aliud tale; vel quod unus furetur ex pravâ consuetudine, alius ex verâ paupertate. Nemo accusari potest damnarique furti, nisi prudens sciensque alteri suum clam aufert. Sic in omnibus

bus aliis causis magis attendendum est propositum facti, quàm ipsum factum.

XXXVI. Quia plerumque hîc in Suecia fieri solet, ut, ubi duo rixantur, unus alterum sæpe furem, appellare soleat, vel tale quid; atque sic appellatus citet eum ad judicium, dicatque sibi adversarium furti crimen imputasse, vel aliud hujusmodi, atque ita detrimentum ei adferre velit, ut vel ipse eodem jure utatur, quod in alium statuere vult, vel infamis reddatur: hîc judex discretione uti debet, ita ut discrimen faciat inter nuda convitia & plenam convictionem: prorsus enim aliud est ex iræ subito calore vocare aliquem furem, vel alio nomine, quàm ex invidiâ & proposito convincere aliquem criminis. quia ergo non simile delictum est, non quoque similis pœna est. Iudex etiam rectè cognoscet, num sit verum convitium, vel non, ut Codex legum præscribit.

XXXVII. Iudex non admittet quædam irrationabilia testimonia, quibus sæpe perjuria committuntur, sed prius investigabit, annon sint testes studio partium addicti, vel invidiosi, vel num veri ac rationabiles sint, ut esse debent; vel num perjuri aut infames sint, vel num fide digni sint, vel non: ubi dicta vitia deprehenduntur, non admittuntur hujusmodi testimonia. Nemo etiam testis esse potest in propria causa, nisi testetur contra seipsum; tunc enim res confessa est.

XXXVIII. Secundum illam confessionem, quæ alicui per quæstiones extorquetur, nemo condemnari debet: tales enim confessiones & tormenta solent esse falsa; & sæpe fit, ut multi confiteantur, quod nunquam verum & factum est, idque ex impatientiâ tormentorum; nisi ita accidere possit, ut ex tali recognitione eæ rationes deprehendantur, secundum quas judicari possit. Ad hoc autem magna moderatio sequitur, quomodo in hujusmodi quæstionibus & torturâ versandum sit, ne insons torqueatur & affligatur, quæ est aperta violentia, per fidiculas & eculeos facta; quibus satius esset abstinere, quum toties injustè usurpentur: Itaque admitti non debent, nisi in atrocioribus criminibus & gravibus facinoribus. Idcircò multi Prætores iniquè faciunt, qui tam acerbè cogunt apprehensos ad confessionem, & statim secundum eandem confessionem, sive recta sive falsa sit, irrogant pœnam corporalem vel pecuniariam, id prætexentes, quod agnoscebat suum facinus, quamvis hoc postea neget, dimissus ex tortura. Ubi hoc fit, plerumque propter pecuniam fit, & manifesta vis ac iniquitas fit, à Dominis non permittenda.


XXXIX. Multi etiam ſic animati ſunt, ut, quando alicujus viri ſententia diſputatur, ſibi perſuadeant, quaſi hoc cedat in fraudem exiſtimationis ſuæ,& dicant,ſe velle tueri ſuam exiſtimationem, quando defendunt ſuam ſententiam & judicium. Sed hujusmodi ſermo proficiſcitur ex imprudentia. Quando judex ſecundum extremum ſuum intellectum judicat & ſecundum illas rationes, quæ coram ipſo adferuntur, extra culpam eſt. Si verò deinde cauſa per appellationem devolvatur ad alium, qui plus intellectus habet, & meliora documenta producuntur,& poſtea aliter judicetur,hoc bene ferre debet,nec illud ei ignominioſum eſt. Sed ſi comperiatur, quod propter munera ac largitiones,potentiam aut amicitiam pronunciaverit falſam ſententiam, parum exiſtimationis ſibi peperit. Si perplexa vel ambigua cauſa occurrat, de qua non ſcripta lex ſive in jure provinciali ſive civitatum exſtet, nec communis ac rationabilis de ea conſuetudo detur, ſecundum quam judicari poſſit,ibi audire licet bonorum virorum conſilium,& judicare ſecundum extremum ſuum intellectũ ac conſcientiam, ut cauſa tandem decidatur; ſic enim exigit judicis officium,ut controverſias dirimat.

XL. Ubi cauſa obſcura eſt, proniores erimus ad juvandum reum quàm actorem. Illum ſequentur commoda, quem ſequuntur incommoda, & vice verſâ.

XLI. In omnibus cauſis judex primò ſciet nomen facti, num ſit violatio juramenti Regii, furtum, vulneratio voluntaria aut caſualis,vel pro quo facinore computari debeat; & deinde judicabitur ſecundum circumſtantias facti.

XLII. Ille detorquet legem, qui non permanet in ſententia legis qui eam tulit,& hoc eſt contra Senatus & Iudicum juramentum, ne detorqueant legem in alienum ſenſum. Nemo plus juris in alium transferre poteſt,quàm ipſe habet,nec liberi plus iuris in hæreditate habere poſſunt, quàm parentes, nec aliquis alii maiorem poteſtatem vel plenipotentiam dare poteſt,quam ipſe habet.

XLIII. Et hæc ita dicta ſint de Iudicibus in brevem informationem; & fatendum quidem eſt, ſi Iudices has regulas, ut iure decet,ſequi velint,mulctæ aliquanto minores erunt, ſed Dei offenſio quoque minor erit,& ius ac æquum inter populum eò maior,in quo plus momenti eſt.



CUM DEO!

REGULÆ JURIS SVEO-GOTHICI,

Ex universo Legum Sueo-Gothicarum Codice excerptæ, & brevibus Notis à JOH. LOCCENIO illustratæ, atq; secundum ordinem Titulorum Juris positæ.

Ex Titulo I.

DE REGE,

SUPREMA REGIS JURISDICTIO.

Cap. IV. in fin. K.B. LL.

I.

KOnungen ågher i Rijko sine aff Gudi högste Doom hafwa öfwer alla wärldzlika Domare/ och swå Almogans Käromal effter Laghum/ eller effter vthlette fulla sannind höra/hwat han heller wil. H.e. *Rex debet in Regno suo supremam Iurisdictionem habere super omnes seculares Iudices; atq; sic populi causas vel actiones secundum Leges, vel inquisitam plenam veritatem audire, utrum potius velit.*

NOTÆ.

Vi Regiæ & supremæ Iurisdictionis Rex inferiorum Iudicum sententias vel ordinariâ Iuris viâ & mediatè per appellationem ad supremum R. Iudicium, vel per Revisionis beneficium immediatè ad se ipsum, vel confirmare, si rectè ab illis judicatum, vel retractare, si malè judicatum sit, & rem ex vero ulterius cognoscere & determinare potest c. 21. 22. 41. Tingmål. *Item ubi Iudices in rebus dubiis & perplexis hæsitant, vel ignorant quid juris sit, consilium suum vel Iudicium Regium, vel ipse Rex Resolutionem suam dare potest* c. 25. Ting. c. 13. Rådstuf. art. 2. Rättegångs Ordin. Item: *ubi dissidentibus Iudicum sententiis, Regi significandum est* art. 33. Rätteg. Proc. *Ejusque sententia petitur. Item: ubi Iudices reum aliquem ab ordinariâ capitis pœnâ absolvere nequeunt, Christianum tamen sit, ob nonnullas circumstantias illum liberari pœnâ capitis, hoc inter Reservata Iurium Majestatis & Regiæ jurisdictionis est, ei delicti gratiam facere* art. 16. Rätteg. Ord. *Rex aliquando etiam extra ordinem beneficium Commissionis vel restitutionis in integrum, si per supplices literas rectè petatur, ex evidenti, justâ & necessariâ causâ dare solet ac potest.* Vid. Synops. Iur. Dissert. XXX. Quæst. XX.

Ex II. Tit.

DE CONJUGIO.

PRÆSENTIAM TESTIUM IN SPONSALIBUS REQUIRI.

Ex

Ex Titulo Gifftermål. B. de CONJUGIO c. 2. LL. SL.

II. Nu än man will kona fästa/thå skal Giftoman hänne när wara/ och Witne. Id est: *Si vir velit sibi desponsari fœminam, hujus desponsator præsens erit, & testes.*

NOT.

Licet in desponsatione virginis principaliter requiratur præsentia & consensus parentum: ita ut pro illicitis & clandestinis Sponsalibus habeantur, quæ inter virum & fœminam absque consensu parentum contracta sunt: etiamsi vel maxime adfuerint testes; tamen etiam istic testes ex lege adesse, expedit, ob duas præcipuè causas 1. ut per testes probetur, legitima fuisse, non clandestina sponsalia. 2. ut si sponsalibus contractis, alteruter contrahentium postea pœnitere & mutare animum velit, hoc non possit: quum ex testium assertione constet, legitima fuisse Sponsalia, ideoq; irrevocabilia, Laghligit stända / *legitima persistant* c. 1. Jord. LL. nisi utrimque gravia & Implacabilia dissidia intervenerint. *Vid. Synops. Jur. Diss.* III. *qu.* 17.

DE TUTORE VEL CURATORE ELIGENDO. ex c. 19. Gipt. QL.

III. Then kan egh fore annars gotz sea/som egh kan firi sina sea. I. e. *Ille non potest curare aliena bona, qui non potest curare propria.*

NOT.

Lex loquitur de eo, qui parum intelligens nec prudens paterfamilias, malè administrat bona sua. Ergo in deligendo pupillis tutore prius dispiciendum est, quomodo ipse bonis suis præfuerit, benè, an malè; antequam alienis præficiatur. Ille parens pro bono patrefamilias habetur, qui adquirere & servare adquisita potest, Een Fadher som kan afla oc gömma, ut est in fl. 26. Arfd. WML.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri;

ita pro bono tutore ille habetur, qui loco patris futurus est pupillis; si probatus sit vir rectæ administrationis bonorum suorum; si nec prodigus, nec avarus sit.

Ex Tit. III.

DE TESTAMENTO ET HÆREDITATE,

Om Testament och Arf. SL. LL.

NON IMMOBILIA, SED MOBILIA HÆREDITARIA POSSE LEGARE.

IV. Hafwi engin wald gifwa undan sinom Arfwum/ Hws/ Gård eller Jord. *Nemini sit potestas testamento legandi in fraudem hæredum suorum immobilia bona hæreditaria, velut domum, villam aut agrum.* c. 19. §. 1. Erfd. SL.

NOT.

Hinc ex contrario sensu patet, alicui, si non bona immobilia, tamen mobilia, etiam hæreditaria, licere in testamento vel marito vel uxori suæ, vel alii ex propinquis legare. Vide in Iudicio Regio Holm. aliquando responsum ac decisum est, mobilia hæreditaria, quoad alienationem participare naturam industrialium bonorum, per c. 19. Erfd. SL. *Licet autem in principio hujus cap. lex generaliter permittere videatur certam partem tam immobilium quàm mobilium legare aliis; tamen in § 1. d. cap. restringit & excipit immobilia hæreditaria, de quo re alibi plura. De permisso verò legato mobilium hæreditariorum non unum exemplum exstat.*

HÆREDEM ETIAM AD SOLUTIONEM ÆRIS ALIENI TENERI.

v. Hafwi engin wald skiffta arff/ för än gäld guldin ar. c. 22. Ersd. LL. c. 17. cod. SL. c. 5. eod. SML. H e. *Nemini liceat dividere hæreditatem, antequam æs alienum ex indivisis bonis solutum sit.*

NOT.

Hic aliquando in disceptationem venit, num, si defuncti bona non sufficiant æri alieno solvendo, hæredes de suo solvere teneantur? Negandum videri possit ex dd. capp. ubi lex dicit: Si nulla adsint bona ad solvendum æs alienum, *hæredes esse immunes à solutione* (Arfwa warin saklose.) Si verò quædam adsint bona, sed non sufficientia solutioni debiti, *particulari solutione omnes creditores pro quota oportere esse contentos.*

Sed his opponi queat alia Regula juris:

VI. Hwar sum annun arwer/ tha arwi swa let som liuft. c. 5. Arfd. HL. & alibi: *Quicunque alterius hæres est, tam onerosum, quàm lucrosum hæreditate adire debet. Quæ verba hæredem bonorum defuncti obligant etiam ad solutionem æris alieni. Si ergo hæres sentiat æs alienum majus esse, quàm relictas facultates defuncti, præstat eum in tempore abstinere omni hæreditate, eamque relinquere creditoribus: ne plus oneris, quàm lucri capiat. Sed si semel se immisceat hæreditati participandæ, etiam ad solutionē æris alieni tenetur,* per reg ante allatam. Confer Ill.[mi] Dn. Claudii Rhalamb, Penu Observ. Iur. lib IV obs 11. n. 6. 7. *Eadem regula valet in pœnali judicio, vel solutione mulctæ pro defuncto.* fl 16. §. 3 Manhälg. UL. item in *evictione* fl 45. cod. & in fine cap. 18. Tiuf. LL.

QUANDO DIVISIO HÆREDITATIS ADMITTENDA.

VII. Giswis them Witzord/ som laghligen skipa wille. *Ei sit facultas obtinendi divisionem bonorum hæreditariorum, qui legitimè ea dividi vult.* fl. 26. Arfd. WML. fl. 11. §. 6. cod. VL.

NOT.

E re est & utile hoc omnibus cohæredibus, ut, defuncto patre aut matre, in tēpore & legitimè fiat bonorum relictorum divisio: ne, si in indivisis bonis diu vivant superstites, unius vel alterius dilapidatio vel consumptio ac diminutio bonorum metuenda sit. Nemini autem licet alterius bona consumere vel temerè alienare: Nu mä engin annars forigöra/ *ne quidem illis qui sunt unius familiæ,* ut est in fl. 9. § 2. RB. UL. & fl 8. eod. WM. unde porrò ibidem additur: äi fadhur suns/ ällä sun fadhurs/ äi brodhir brodhurs/äller ängin annars forigöra; *non patri bona* (aut legitimam) *filii, nec filio patris, nec fratri fratris, nec alterius facultates consumere aut diminuere licet.* Quamvis enim bona hæreditaria omnibus cohæredibus sint communia, nullius tamen pro virilibus portionibus sunt propria, antequam dividantur.

Quid verò de usu fructu bonorum indivisorum defuncti, patri aut matri relicto, statuendum sit, vid. Synops. Iur. Diss. V. qu. XI.

Ex Tit. IV.

DE JURE AGRARIO.

Jordebalke.

LEGITIMA ADQUISITIO.

VIII. **Laghligit stånde / och olaghligit återgånge.** *Legitimè adquisitum sit ratum & firmum, illegitimè adquisitum revocetur.* Jord. c. 1. LL.

NOT.

Hac regula non solùm in omnibus aduqisitis bonis, ut ibid: sed etiam in venditis, permutatis, & divisis legitimè bonis c. 10. Jord. SL. c. 18. Gipt. OL. c. 8 §. 3. Jord. UL. *in processu judiciali actionibus & accusationibus* fl. 6. wad. oc sår OL. in fin. locum habet.

SURROGATI NATURA QUALIS.

IX. **Sål man Fädherne sitt i enom stadh eller skipter / och köper i androm / thet är Fädhernes iord / och ey Aflingaierd.** c. 9. Jord. LL. *Si quis rem soli paternam vendat aut permutet in uno loco, & emat iterum in alio loco, hoc est paternum, non adquisitum bonum.* Idem fl. 8. cod. UL. & fl. 5. 7. Jord. WML.

NOT.

Ratio hæc est, quod licet res soli alibi, pro bono paterno vendito aut permutato, iterum empta, non sit bonum hæreditarium aut paternum; tamen pro eo reputatur: quia surrogatur in locum boni paterni. Ut enim habet regula Iur. Rom. in l. 28. §. 1. D. de condit. & demonstrat. *Surrogatum sapit naturam ejus, cui surrogatur. Sed hæc regula non habet locum, si utraque res sit diversæ qualitatis, vel non tendat ad eundem effectum.*

AUTHOR REI IN ALIUM TRANSLATÆ.

X. **Hwar söke sin fångsman** c. 12. 30. Jord. LL. *Quisque authorem suum sequatur, aut quærat.*

NOT.

Confer l. 175. D. de Reg. jur. & l. 63. §. 3. D. de evict. de qua regula alibi plura.

POSSESSORIS MELIOR CONDITIO.

XI. **Jllt är / widh åghanden at dela.** fl. 5. & 13. §. 3. Jord. UL. *Malum est, cum possessore litigare.*

NOT.

Possessoris conditio etiam in re dubia melior est, quam petitoris: dum paratus est possidens suæ possessionis titulum defendere ac probare præ petitore. Ut enim est in fl. 27. §. 1. Widerbo UL. **A then wäria / handomällum hawer /** vel, ut est in c. 43. §. 1. Bygn. LL. **hafwi han wit jord i handom / hafwer sigh til wäria.** i. e. *Ei sit facultas se defendendi, qui in manibus habet.* Confer etiam c. 30. in fin. Jord. LL. & c. 15. 21. Rådstuf. item in Synopsi Iur. Differt. extraord. III. th. 18.

CONVENTIO.

XII. **Förord bryter lagh /** *Conventio dat legem contractui.*

NOT.

Quamvis in Synopsi Iur. Diss. X. Qu. III. de hac vulgari regula Iuris prolixius antea egerim; tamen mihi nunc specialis casus in mentem venit, in quo mentem legis rectè exponere, visum est è re fore, ut de similibus idem fiat judicium. Casus est talis: *Dominus cum colono convenit, ut si ad certum & præfinitum tempus deficiat in solutione debiti, dominus vel creditor absque processu juris sibi ex bonis debitoris solutionem facere possit.* Hic pro creditore quidem stat conventio, *arg. c.* 20. Jord. LL. **Swa som bådhom å sämber.** *Quia tamen proprietario rei suæ, si à judicio sit immissus creditor in rem soli ejus, adhuc certum temporis spatium*

 datur

datur revocandi eam, si possit, c. 13. Ting. *& prius in immissione bonorum mobilia, quàm immobilia lex æstimari vult* c. 27. Ting. *inde constat, legem non admittere conventionem privatam, quæ sit contra legem. Ideò satius est, hìc juris viâ & legitimo processu uti.* Confer Ill.mi R. Senatoris Dn. Claudii Rhalamb/ eruditum Penu Observat. Iur. 1, 1, 1.

CONSANGUINEOS NON OBLIGATOS ESSE PRO QUOVIS PRETIO AB ALIIS OBLATO REDIMERE REM SOLI VEL DOMUM HÆREDITARIAM VENDENDAM.

XIII. **Biuda thensamma gård nästom frändom/ willia the fire then gård eller tompt swå giswa som annar biuder/ köpin the; willia the eig/ tha säli åhwar han bäst må.** i. e. *Offeret* (nimirum venditurus domum hæreditariam post trinam denunciationem) *eandem domum proximis agnatis, si pro illa tantum solvere velint, quantum pretii alii repræsentant, illi in emendo præferentur. si nolunt, vendet, ubi optimè potest.* c. 1. Jord. SL.

NOT.

Licet de hac re in peculiari Dissertatione de Iure Retractus jam ante quædam observarim, tamen hoc addere è re visum est, quod nonnulli hac lege abutuntur, & domum hæreditate adquisitam prius offerunt extraneo & diviti, pro quanto pretio volunt; cogitantes unà cum divite, quod exstat in l. L. Dalic. Ting. Siodr är odalsmader / *Marsupium est proprietarius terræ. Venditurus enim quàm maximum pretium potest pro re suâ vendendâ captat, & empturus non curat quantum pretium pro domo situ ipsi commodâ solvat, modò eam habere possit; adjutus, ut putat, superiori lege. Vendens insuper ideò intendit pretium supra fas & æquum, ut, nisi consanguineus tantum dare velit, ab extraneo tantum accipiat: quod in consanguinei, retrahere volentis, fraudem & præjudicium vergit. Itaque hoc per protestationem, ut illegitimum consanguineus revocare potest,* Olagbligit återgange c. 1. Jord. LL. *& submittere æquæ æstimationi sex ab utraq; parte bonorum & à studio partium alienorum virorum, ut est* in c. 5. eod. SL. *ubi verba benè observanda sunt:* Epter thy som thet wärt är etc. och fore godhe man måta. *Ergo pretium non erit iniquum, nec nimium; sed prout arbitrio bonorum virorum æstimari potest.*

Ex Tit. V.

DE JURE ÆDIFICANDI.

XIV. **Then a witzord / som byggia wil / of eigh then ödha wil/** fl. 32. Bygd. OL. fl. 20. & 34. §. 1. eod. SML. *Illi dabitur facultas ædificandi, qui ædificare vult, non ei qui desolare vult.*

JUS ÆDIFICANDI, DIVIDENDÆ SILVÆ ET AQUÆ.

NOT.

Illud enim ad meliorem reddendum & excolendum pagum, hoc ad destruendum & perdendum facit. Sic in cap. 31. Bygn. LL. §. 1. *Si plures possideant locum molendini, & unus in eo ædificare velit, non verò omnes, ei permittitur facultas ædificandi in eo molam, qui ædificare vult.* Jura enim favent meliorem pagum reddere studentibus. Sic in fl. 14. §. 14. Widerbo UL. *ubi agitur de divisione silvæ:* Nu willia mån skogh skipta / och sumir åghander willia oskipt hawa/gifs them tha wald och witzord skipta wil och byamal bätra: *Si viri dividere silvam velint, quidam verò possessorum velint indivisam habere, illis potestas & facultas dividendi datur, qui dividere volunt & pagi conditionem meliorem reddere.* Item: Ean offhogg a skog göras/ agha then witzord som skoga skipta will. fl 14. §. 1. Jord. UL. *Si quis in communi silva nimium cadat, ei sit facultas dividendi silvam qui dividere vult.* Vid. etiam de silva non limitata fl. 55. Bygn. WML. & inf. Reg. 15. Item in fl. 20. Bygn. SML. c. 46. 47. eod.

 WML.

WML. *ubi de divisione aquæ piscatoriæ agitur*: Den aga witzord/ som watn skipta wil. Idem c. 25. §. 3. Bygn. LL. *Illi sit facultas dividendi, qui aquam piscatoriam dividere vult.* Quia de divisione silvæ & aquæ dictum est, ex eadem occasione addetur *regula de jure adquirendi silvam & aquam.*

CUI JUS SILVÆ ET AQUÆ VERE COMPETAT.

XV. Ä hwar man ägher iord i by/ ther skoger ligger til/ tha agher then skogh som iordh agher; hawi ok engin witz ro widh skogh at kännas/then ei Jord a/ the skoghin stander a. *Ubicunq; quis terram possidet in pago, ad quem silva sita est, ille etiam participabit silvam. Si verò nullam partem terræ possideat, in qua silva sita est, nihil etiam silvæ sibi vendicare potest.*

NOT.

Hic eadem ratio in silva, cui adjacet alicujus prædium, quæ in aqua piscatoria, cui adjacet alicujus prædium, de qua in Iure maritimo cap. de Iure piscandi, ubi plura notavi. Hîc autem valet ista regula: Den som ägher Land/ han ägher strand fl. 14. §. 1. Widerbo HL. *Qui possidet prope aquam vel ripam agrum, possidet etiam littus.*

QUID IN ALIENA SILVA IMPUNE CÆDERE LICEAT.

XVI. Äker madher gönom skogh mans/ bräster Arsul mans/ eller andurstang/ huggi at saklösa badhi. fl. 4. Fornam. W L. i.e. *Si quis agat vehiculum per alterius silvam & frangatur axis vel alia pertica, licet ipsi tale quid impunè cædere istic.*

NOT.

Hoc necessitas, ne obhæreat in viâ, & humanitatis lex in casu necessitatis, legem non habentis, excusat.

SILVAM PRÆSCRIBI CERTO RESPECTU NON POSSE.

XVII. Ligger wärnkallader Skogher Bya mellom/ ära Rödr eller tiäldra til/ wari thet warit hafwer/ är ey rödr eller tiäldra til/ thä agher han skiptas til öre och ortugha. i. e. *Si consepta silva inter pagos sita sit, quæ habeat certos suos limites, maneat ita ut ante fuit; si verò non habeat definitos suos limites, dividi debet secundum solidos & trientes.*

NOT.

Limitata & consepta silva haud dubiè agnoscit suum auctorem & dominum, sed illimitata vel communis est, vel dividi debet à dividere volentibus. Vid. sup. Not. ad Reg. XII. *ideò ab uno præscribi non potest, nisi præscriptionem immemorialem probare possit. Cæterum, cur præscribi non possit, pluribus rationibus ex juris fundamentis ostendit* Dominus Rhalamb lib. I in Penu Observat Iur. cap. 2. obs. 2 n. 20. Idem ibid. c. 2. Obs 6. Venationem in alieno præscribi non posse ostendit, nisi immemoriali præscriptione.

BENEFICIUM POSSESSIONUM IN PAGO INTER VICINOS, UT PRÆSCRIPTIONI SUBJECTÆ NON SINT.

XVIII. Engin må androm sin Luth förtagha. Item: Rädhe then til iämforis deela/ som äkarir och stadhan Lider c. 4. Bygningbalk LL. & §. 1. ibid. Item: Nu sigher en/ at annan rydhiar affmykit/ och bedhis til skiptis/ thä gifs honom wäld til skip-

ſkiptis deela. I. e. *Nemo alteri ſuam partem præripere poteſt.* Item: *Illi licet æqualem quærere diviſionem, qui damnum paſſus eſt & judicialiter quærit.* Item: *Si unus dicat, alium nimium urendo exſtirpare, & petat diviſionem, dabitur ei poteſtas æqualiter dividendi.*

NOT.

Dn. Rhalamb in d. lib. probat hoc. 1. *ex naturâ Societatis inter plures communis, velut præſcriptione ſibi invicem præjudicare nequeunt ſocii; ita nec compagani* c. 32. Bygn. LL. c. 14. eod. LL. c. 13. Erfd. LL. 2. *ex natura ſocietatis paganorum, quæ permittit diviſionem, æquè ac ſocietas, cujus fundamentum eſt Fundus* Tompt/ *& diviſio dirigi debet ſecundum menſuram in fundo, & fundus ſecundum ſolidos & trientes* c. 4. Byg. LL. *Diviſio ergo excludit effectum præſcriptionis.*

FUNDUS EST PRINCIPIUM ET DIRECTOR AGRI AC PRATI.

XIX. Tompt är åkers modher / c. 6. Bygn. LL. fl. 14. eod. WML. c. 11. eod. SML. & OL. *Fundus eſt agri mater.*

NOT.

Quidam hæc verba ita intelligi volunt, quaſi ex fundo, velut matre, ager quaſi naſci aut fieri poſſit. Si hic ſenſus verborum eſſet, pari modo dici poſſet, pratum eſſe matrem agri: nam ex prato quoque ager fieri poteſt; ſed ſcimus, prati & fundi alium & magis neceſſarium eſſe uſum, quàm ad ſolum agrum inde faciendum. Sed metaphoræ ratio hæc eſt: Velut mater eſt principium conceptionis & generationis; ita fundus eſt principium agri & prati, ſecundum quem partes agri, prati & paſcuorum tanquam menſuram proportionaliter diſponendæ & dividendæ ſunt. Hanc verborum iſtorum mentem ſatis exprimunt ipſæ Leges. In cap. 41. §. 4. Bygn. LL. dicitur: Skipta åkrom och ängom effter Tompten. *Dividantur ager & partes prati ſecundum prædii vel habitationis fundum.* Item in fl. 4. §. 2. Jord. UL. Hawi ſwa i akri och äng/ ſom han hawer i tompt: *Habeat ita in agro & prato, ut habet in fundo,* nimirum proportionaliter. Brevius in cap. 2. §. 1. Bygd. OL. Läggin åker äpta tompt: *Ager collocetur & dividatur ſecundum fundum.* quæ verba etiam exſtant in cap. 6. Bygn. LL. Idem firmat vetus agri partiendi uſus & hodierna praxi.

TACENDO VEL SILENDO QUOQUE JUS AMITTI POSSE.

XX. En kan förtigha ſin rätt/ cap. 50. Bygn. LL. 17. Ting. fl. 13. §. 2. Jord. WL. *Poteſt aliquis excidere jure ſuo per intempeſtivum ſilentium.*

NOT.

Exempla ex ipſis legibus patent: ut ſi paterfamilias non exigat in tempore mulctas à colono pro non ſoluto dicto tempore ſibi agrario c. 50. Bygn. LL. *Regis prætor eas exigit. item ſi actor captam litem non perſequatur, causâ cadit* c. 17. Ting. *Item ſi impuber, poſtquam puber factus eſt, per triennium ſileat ad repetendam terram ſuam, poſſidens eam retinet,* c. 13. §. 2. Jord. WL. *Ille enim videtur alienationi rei ſuæ conſentire, qui ſilendo patitur poſſeſſionem ſuam ab alio præſcribi l. 28. D. de V. S.* Et detrimentum quod quis per negligentiam ſentit, ſibi, non alii imputare debet Præterea ſi creditor per longum tempus debitum haud exigendo, illud tandem præſcribi paſſus ſit. de quo caſu prælustris Rhalamb lib. 1. c. 1. obs. 3. & lib. 3. cap. 1. obs. 5.

CASUM MERE FORTUITUM NON ESSE PRÆSTANDUM.

XXI. Firi ofâvoli skal eig warda. fl. 25. & 26. Bygd. OL. fl. 8. §. 3. Rättl. WL. fl. 5. Bygn. SML. *Vis major aut fatale damnum non est præstandum.*

NOT.

Ejus species in dd. LL. recensentur, ignis, rapina, ursus, cornu petitio, & mortalitas, de quibus in d. c. 8. Rättl. WL. Thesse äru ofâvoli asiekia i. e. *Hi casus sunt extra culpam.* Idem est quod dicitur in l. 23. D. de R. I: *Quod sine culpâ alicujus accidit, à nemine præstari debet. Cæterum si culpa præcesserit casum, sive sit lata sive levis, aut hor non in totum excusatur : ut si ignem non innocentem habuerit, nec diligenter custodiverit, & inde incendium ortum sit : si quis iter faciat sciens per viam latronibus infestam, & sic spolietur : si ursum vel aliud animal ferum aut indomitum non vitaverit aut præcaverit, ubi poterat. mortalitas verò planè fatalis est ; nisi quis sibi ipsi mortem consciverit.* In §. 1. & 2. d. cap. 8. Rättl. WL. & fl. 7. Manhälg. SML. dicitur: Firi all wangömslo skal wardas : *Ex omnis generis incuriâ quis tenetur.* E. c. *Si sepes non bene exstructa sit, vel diu dejecta jacuerit, per quam pecus ingressum sit agrum ; si equus, compedibus non constrictus, transilierit sepem ; item si equum conductum quis malè habuerit, & quocunque modo occasionem damni ei dederit, inde tenetur.* Inprimis conferendum est c. 35. Bygn. LL. & l. 23. de Reg. jur ; ex quibus, *quid casu merè fortuito,* aff rättom wâdhe/ ut dicitur in § 2. d. cap. *vel casu cum culpâ alicujus conjuncto acciderit,* aliisque LL. de quibus in suo loco videre est. Et hoc in delictis casualibus observandum est, quæ in jure nostro plerumque non sunt absq; mulcta, *ob interveniemtem aliquam delinquentis culpam, sive intervenerit lata sive levis culpa ; Si quid per errorem in alieno agro, vel prato, secando aut metendo, factum sit, non ad casum merè fortuitum, nec dolum, sed culpam & incuriam referri potest : dum alienum pro suo secuit, qualis error non excusat, quum aliter scire potuisset, certe debuisset.* Vid. c. 16. Bygn. LL. c. 3. 4. 17. eod. SML. 19. eod. OL. *ideoq; mulctatur. Error enim etiamsi non sit plenè consentientis aut volentis, tamen est negligentis. Si verò errans etiam ex alieno agro quid abstulerit, aggravat mulctam.* c. 3. 7. Byg. SML. fl. 19. eod. OL. Sic oblivionis quædam mulcta est in c. 3. §. 2. Manhälg. UL. Confer S. 1. Diss. XXV. Qu. 1. *Si quis insidias feris tendens eas publicare oblitus sit ; atque sic in eas inciderit homo : oblivio quoque ex incuria vel negligentia plectitur.*

EQUITATIS REGULA GENERALIS.

XXII. Hwar göre andrum lijka/ in fin. cap. 12. Bygn. LL. *Quilibet aliis tribuat, quod æquitati consentaneum est.*

NOT.

Hæc est generalis regula, in omnibus negotiis civilibus, contractibus & obligationibus servanda, in ipso juris nat. præcepto : suum cuiq; tribuere, fundata.

DE CREDITA PECUNIA.

XXIII. Nu är thet giäld medh liwande manna Witnum vthsat/ eller medh brewen/ hawi witzord then som eptir kiärir/ ey then dylia wil/ in fin. cap. 5. Arfd. SML. *Si pecunia cum vivis testibus aut literis alicui credita sit, illius assertioni statur, qui suum legitimè quærit, non illius qui negare vult.*

NOT.

Hoc est confessum & manifestum debitum, quod syngrapha & testibus probari potest. c. 33. KB. LL. 11. SL. *eoquè paratam habebit exsecutionem* c. 16. Rädstuf. *nisi debitor apochâ suâ probare possit, se creditori solvisse ; aut ei opponat compensationem ex suo rationario,* medh contraräkning/ *ut loquuntur ; modò ea legitima, liquida & probata sit.* Vid. Synops. Iur. Diss. 23. Qu. 2.

Ex Tit. VI.

DE EMPTIONE & VENDITIONE.

VIDUAM NON POSSE PER SE REM SOLI SUI AUT DOMUM VENDERE.

XXIV. Ænkia mä ey iord sin sälia eller skipta/ vthan medh sins gifstur mans rädh fl. 14. 7. Gipt. OL. *Viduæ non licet terram suam aut domum vendere vel permutare, nisi cum desponsatoris sui consilio.* aut, si ille iam obierit, cum propinquorum consilio.

NOT.

Licet dictum caput non exstet in Tit. de empt. & vendit. tamen materia causa eò referri, & cum eo tit. quoad hoc argumentum commodè conferri potest. In titulo enim de Empt. vendit. cap. 4. Köp. LL. & 3. St. *prohibetur uxor cum alio contractum emptionis & venditionis, inscio marito, ut scimus, inire. Sed cum vidua facta sit sui juris, videtur posse per se emere ac vendere. Cæterum eadem ratio, qua valet in uxore, obtinet etiam in vidua: ne nimirum, si hoc ei permittatur, propter imbecillitatem sexus, quæ tam viduam, quam uxorem comitatur, contra propria faciat commoda, aut ab aliis circumveniatur. Unde etiam Lex viduam in curâ pupillarium bonorum vult propinquorum consilio regi.* c. 11. Gifft. St.

COMMODATUM, CONDUCTUM.

XXV. Lan a leande hem bäras/ fl. 6. in fin. köp. UL. in cap. 8. Köp. LL. est hemföras. *Commodatum restitui debet commodanti.*

NOT.

In fl. 8. Rätts. WL. *est, quod* hel & vtan all genmäll/ *nimirum quod integrum & absq; omni contradictione possessori restitui debeat: ne fiat, quod in proverbio dicitur,* Läna sin Wän/ och träfwia sin owän/ *commodare suo amico, & repetere à suo inimico. Confer Sirac. c. 29. vers. 4. & seqq. Hæc quoque regula accipienda est de conducto, ut ex dd. capp. liquet.*

Ex Tit. VII. Ting. & Rädsfluf.

DE JUDICIO TERRIT. PROV. ET CURIALI.

PURGATIO JURATORIA.

XXVI. Standi lagh firi hanum/ som man wänir til c. 7. Thing SML. 12. Tiuf. eod. i. e. *Ille legali purgatione se defendere potest, contra quem stat præsumptio facinoris aut delicti.*

NOT.

Sed gravem oportet esse præsumptionem, ut sit locus purgationi juratoriæ, velut in Synopsi Iur. Differt. XXX. *qu. 1. 2. 3. 4. fusius probavi & deduxi.* Regula juris in c. 25. §. 2. Bygn. LL. fl. 16. § 4. Widerbo UL. fl. 46. eod. WML. hæc paucis sed nervosis verbis comprehendit. För alla the saker man warder ey baar ock ataghin/ eller medh Witnum tilbundin/ hafwi then saaken gifs/ witzord at wäria sigh medh laghum/ effter thy saken är til. *Pro omnibus facinoribus, in quibus aliquis non est coram deprehensus, vel testibus non convictus, insimulatus facultatem habebit lege se purgandi, pro qualitate delicti.* Sed si coram deprehensus sit, inficiari nequit, ut est in fl. 41. Bygn. WML. Sum bar ok atakin är/ komi ingen dyll widh.

DEFENSIONIS JUDICIALIS EFFECTUS.

XXVII. Wari swa wart for enom/ som för androm fl. 16.

Man-

Manhälg. UL. fl.3.& 17. Eghnsal. OL.c. 10. in fin. Jord. LL. in fin. *Ita sit defensum pro uno, velut pro altero.*

NOT.

Nimirum ubi par omnium causa, conditio & interesse vertitur. Sic est in *l. 12. §. 6. Cod. de ædific. priv.* Æquitas est, quoties quod uni permittitur, cæteris non negatur. Sic in c. 21. Erfd. LL. 16. SL. eod. & 24. §. 3. eod. UL. Klandas ther för enom / tha klandas ther för allom. *Si lis moveatur uni, movebitur omnibus;* si nimirum omnium una eademq; causa & æquale jus sit, de quo litigatur; än ther dela allir et mal / ut est in fl. 17. Egnsal. OL.

TESTIMONIA ET JURAMENTA UBI ET QUALIA ADMITTENDA SINT.

XXVIII. All lagha witne och Eedha skulo å Tinge för Rättenom göras och gångas c. 5. Ting. *Omnia legitima testimonia & juramenta in Iudicio coram consessu Iudicum habebuntur & præstabuntur.*

NOT.

Caput 21. Ting. *idem firmat & non solum in judicio, sed etiam legitimo die juridico haberi vult; nisi in principali causa, velut deficiens in probatione condemnari velit.* c. 34. §. 1. Tingmal. fl. 7. Jord. UL. & 6. Thing. UL. *vult etiam esse rationabilia. Sed* fl. 15. Jord. LL. & 16. Kristn. OL. *contra ædificationis, sponsionis & mutui testes & contra R. Iudicium non vult admitti juramentum.* Cæterum de abusu juramenti & vero usu alibi plura.

QUATENUS PLURA VOTA VEL SUFFRAGIA IN SENTENTIA FERENDA VINCANT.

XXIX. Hwem siu aff Nämpd wäria / wari warder / hwem the ey wäria / wari fälder. c. 35. Ting. fl. 2. §. 3. eod. UL. *Quem septem ex judicibus absolvunt, absolutus erit, quem non absolvunt, damnabitur.*

NOT.

Hic quidem vulgare dictum est: Major pars concludit; *& tamen legibus & praxi conforme est.* Sic enim est in c. 1. §. 4. Bygd. OL. Hwat flere wilia hälder / thå skal thet swa wara. *Quod plures potius volunt, hoc ratum erit.* Et in l. 45. Cod. de Decurion. *Major pars Decurionum concludit. Sed si dissidentibus sententiis, æqualia utrimque suffragia sint, eorum sententia prævalebit, qui optimas rationes habent, ut est* in art. 33. Rätteg. Proc. Sic in c. 7. KB. SL. *ubi agitur de electione Consulis aut Senatoris:* Thå skule the rådha / som flere samman holda och bätre skäl hafwa. *Tunc in illorum suffragia obtinebunt, qui majorem partem constituunt, & meliores rationes habent.* Confer Ziegler. in Grot. de votorum pluralitate, ut loquuntur pag. 284. *Verba autem d. c. 35. Ting. non ita simpliciter & crude accipienda sunt, quasi solus major numerus judicum vel absolvat vel condemnet aliquem, absque respectu vel innocentiæ vel noxæ. Nam* c. 7. Ting. UL. §. 2. *hoc quomodo intelligendum sit, concinne explicat.* Han är fälder / sik fäller sielwer. Idem c. 10 eod. §. 2. *Ille damnatus est, qui seipsum damnat,* i.e. quem delictum suum damnat. *Sed hæc est mens legis, ut plurium suffragia legi & rationi sint consentanea, & ut definitiva sententia vel absolutionem vel condemnationem contineat, si pro legitimâ haberi debeat.* Sic est in l. 3. Cod. de sentent. & interloc. *Definitivam sententiam, quæ condemnationem vel absolutionem non continet, pro justâ non haberi.*

Ex Tit. VIII. Edzör.

DE VIOLATIONE JURAMENTI REGII.

SECURITAS ET PAX PUB. ET DOMESTICA QUANDO VIOLETUR.

XXX. Hwar man ågher frid å sino gotze hafwa och peningom /

gom / och särlika å sielff sins lijff och lifama c. 20. Edzör LL. 21. eod. SL. *Quilibet debet frui securitate & pace domi suæ in bonis & nummis suis, & speciatim in proprio suo corpore & vita.*

NOT.

Quum lex cujusvis incola domum, bona & corpus muniat pace, quiete, & securitate, tàm privatâ quàm publicâ, eamque Rex juramento suo firmarit c.4. §. 7. KB. LL. quod pro virili eam tueri velit; sed & populus jurarit, quod Regium jus tueri velit c. 5. §. 1. KB. LL. si contra id faciat, juramentum regium violasse dicitur. In quâ violatione præcipuè attenditur, num quis ex deliberato & nocendi animo domum alterius ingressus sit, an verò ex subitâ dissensione dissidium inter amicos ortum sit; in illo pax domestica & juramentum regium violatum est, non verò in hoc. c.13. Edz. LL. fl. 7.9. KB. SML. & alibi. Pax autem publica quomodo violetur, Gail: in peculiari libro de Pace pub. tractat, quò brevitatis causa lectorem remitto.

Ex Tit. IX. Högm. Dråp/Sår/Tiuf. LL.

DE DELICTIS PUB. ET PRIVATIS.

MALEDICUM OS SÆPE CAUSA MALI FACINORIS EST.

XXXI. Opta koma aff ondum ordhum gerninga onda / fl. 34. Manhälg. SML. *Sæpe ex maledico ore & pravis dictis prava facinora oriuntur.*

NOT.

Ex dictis titulis solùm generales quasdam regulas notabimus, quoniam de singulis Delictorum speciebus prolixius in Synopsi Iuris egerimus. Sed ad rem ipsam. Veteres dixêre de eo, qui malè de honestis personis loquitur, præsumi etiam malè facturum eis, si occasio suppetat. Non abs re mala verba *infaustæ voces* dicuntur in *l.9.§.1.D.de his quæ u. i. a* quod ab authore convicto non solùm, præter pœnam jure expressam, turpiter per jugulum revocandæ sunt; sed eidem ejusque existimationi nihil boni portendunt. Itaque præstat frænare linguam. Confer in Synops. Iur. Dissert XXVII.qu.II.

JURE NON VI CUM ALIO AGENDUM EST.

XXXII. Hwar ägher hafua Lagh / och ey slagh medh andrum c.38. dråp.m.will. LL. *Quilibet jure cum alio, non manu aut percussione aget.*

NOT.

Ne quidem cum ipso reo c.7.§.2. Rådstuf. Eleganter Cassiodorus 4. Var.10. *Hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.* Confer quoq; cap. I. Widerbo. HL. & c. I. Bygn. SML.

CONFESSIO SPONTANEA.

XXXIII. Gånger en wider Saak sinne / thå han ägher Dödh före liuta / thå torfwa ther eigh witne til takas. cap. XI. Dråp. m. will. SL. *Si quis ultrò confiteatur delictum capitale, non opus est ad illud testibus.* Item ib. Swå myskin är kånd Saak / som stärskutin / eller medh witnum tilbunnin är. *In tantum causa nota est, in quantum cognita, testibusq; convicta est.*

NOT.

Confessionem rei oportet esse liberam & spontaneam, de qua alibi plura. Sed confessio promissione impunitatis extorta, non est libera & spontanea, sed coacta. Nec magistratui inferiori fas est, promissione impunitatis confessionem extorquere, sed supremo magistratui, Carpzov. part. III. Practicæ

 Cir-

Criminal.qu.149.n.7.8. *Supremo enim magistratui licet moderari vel mitigare pœnam*, art. 16. Rätteg.Ordin. *Confessio verò delicti spontanea potest aliquando mitigare pœnam* (exemplum in SML.c.12. Manhälg) *præsertim in levioribus causis, non verò prorsus tollere*. Carpzov. d.loc. n.24.25.26. *Sola etiam confessio rei non sufficit, nisi vel causa rite cognita, vel testibus probata sit*.

Ex Tit.

DE JURE ECCLESIASTICO.

NUM CLERICUS A CLERICO DECIMAS EXIGERE POSSIT.

XXXIV. **Aller man skulu Tiunde göra / swa klärka som leekman / utan Prästen aff sino Kirkiubole** c.14.§ 3.Kyrk.WL. H. c. *Omnes viri præstare debent decimas, tàm Clerici, quàm Laici, excepto Sacerdote de prædio vel agro suo ecclesiastico*.

N O T.

Vulgò quidem dicitur: *Clericus Clericum non decimat*. unde est in Can.2. de Decimis: *Novum genus exactionis est, ut clerici à clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legamus: non enim Levita à Levitis decimas accepisse leguntur*. Statim tamen dictus Canon ita limitat: *Illi profectò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent*. Quæ verba videntur respexisse ad illud Apostoli 1. ad Corinth.9.v.11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos vestra carnalia messuerimus*. Lex Westrogothica etiam hic excipit sacerdotis prædium vel agrum Ecclesiasticum, de quo non tenetur in dicto casu solvere decimas, sed de alio prædio seculari, ut vocant. velut etiam hic omnes Professores faciunt.

Hæ sunt præcipuæ Regulæ Iuris, quæ in LL. nostris occurrunt; de aliis in Synopsi Iuris & suis locis egi. Velut autem architectus regula dirigit obliquum lignum; ita Regula juris justum ab injusto discernit; vel examinat recta, corrigit prava, teste Seneca epist.71. Confer etiam P.Fabrum in Præfat. ad Regulas juris Rom. Quin Diodorus Tuldenus IC. collegit seriem Regularum juris ex LL. Romanis & Iurisprudentium scriptis, quarum ductu & promptius intelligi jus certum, & controversum disceptari extempore possit: undè opus suum indè concinnatum *Iurisprudentiam Extemporalem* inscripsit. Quicquid sit, hoc experientia satis testatur, quod cognitio Regularum juris, etiam patrii, præter ipsam notitiam juris, in negotiorum civilium decisione sæpè instar normæ esse possit, si recta ad eas causarum applicatio fiat. Vale benevole Lector, & hæc qualiacunque boni consule.

IN-

INDEX RERUM.

A.

B.

C.

D.

E.

Emtio

Nemo

Notæ contractarum allegationum vel abbreviationum juris Svetici, secundum ordinem Alphabeticum expositæ.

B. Balk. balker/ titulus.
Bygn. Byggningabalker/ vel Bygdabalker/ de jure ædificandi vel prædiorum titulus.

D. Doblar B. de aleatoribus titulus.
Dråp. Drapmål medh { wilia / wådha } de homicidio { voluntario / casuali }
Dl. Dalalagh.

E. Edz. Edzöór de violatione juramenti regii.
Egn. Egnsal/ de rerum propriarum aut dominiorum venditione.

F. Flok/ caput cujusque libri.

G. Gifft vel Gipta/ vel Giftomål de Nuptiis vel conjugio.

H. HL. Helsingalagh/ Helsingicæ Leges.
Högm. Höghmål/ de atrocioribus delictis.

J. Jord. Jordabalker de jure agrario.
Juth. Juticæ Leges.

K. KB. Konungs vel Konungsbalker/ de Rege vel Regio jure titulus.
Kóp. Kópmala B. de mercandi jure titulus.
Kirk. Kirkio vel KristnuB. de jure Ecclesiastico titulus.

L. ll. Landzlagh Leges provinciales.

M. Manhålgd de securitate virorum aut fide publica.

N. Norsk. LL. Norvegicæ LL.

O. OL. Ostrogothicæ Leges.

R. Rådst. Rådstuwubalker. de Curiali Iudicio tit.

R P. Rättegångsprocess / Forensis vel Judicialis Processus

Rätteg. Ord. Judicialis ordinatio.

Råfst. Råfstabalk / De judicio inquisitorio & criminali titulus.

Rättl. Rättlösebalk de Iudiciali luitione.

S. Sår m. wil. m. wadh / Såromaal medh {wilia / wådha} Vulneratio {volũtaria / casualis,}

Skipm. Skipmåla B. de jure Nautico Titulus.

SDL. Sudermannalagh. Sudermannicæ Leges.

T. Ting. Tingmåla B. de judicio territoriali titulus.

Tiuf B. de furto titulus.

V. UL. Uplandzlagh / Uplandicæ Leges.

W. WL. Westgöthalagh / Westrogothicæ Leges.

WML. Westmannalagh / Westmannicæ Leges.

Wid. Widerboobalk / de prope ædificantibus titulus.

Winford de proxenetis tit.

Errata sic emendanda.

In confirmatione *LL.* prov. Christophori R. circa fin. *quæ quæritur.* In LL. Provinc. Pag. 2. lin. 11. pro *diversor* vel scribe *diversoribus.* p. 9. l. 3. Julabåck p. 13. l. 22. *immunitati.* p. 19. l. 13. *tenentur.* ib. l. 22. pro *diversor* scrib. *hospes* & l. 23. pro *hospit.s* repone *diversores.* p. 28. l. 16. *marcas* p. 33. l. 5. *assertione.* p. 34. l. 31. *matrimonio.* p. 40. l. 10. *uxoris.* p. 55. l. 33. dele *qui* p. 64. l. 33. pro *asperiolos* repone *sciuros.* ut & p. 97. l. 16. p. 86. l. 13. *indicio* p. 93. l. 31. *compossessores.* p. 108. l. 11. *argentaria.* ib. l. 36. *pretii.* p. 114. l. 22. ut Lex p. 116. l. 33. *precor.* p. 118. l. 11. *adsciscent* p. 122. l. 14. pro *Decima* repone *Nona.* p. 136. l. 12. qu. 22. p. 142. l. 5. *absolvent.* p. 171. l. 23. *u* reponetur & l. 29. delobitur p. 175. l. 24. *aggravet.* l. 25. *immunis.* l. 28. *avis.* p. 185. l. 13. *videat.*

In LL. Civil. p. 14. l. 4. post *conventu* adde *accipiat* p. 21. l. 11. *orbiculorum.* p. 26. l. 23. pro *lib.* repone *leg* p. 27. l. 20. *abripiatur.* p. 36. l. 32. post *bona* adde *divident.* p. 41. l. 19. post *onerata,* adde *est.* p. 46. l. 23. dele *ut.* p. 49. l. 25. *oblatum.* p. 52. l. 18. *suum.* p. 63. l. 5. *pignore.* p. 70. l. 19. *convicti.* p. 75. l. 22. *per* 11. *decades* ib. l. 31. *dependant.* p. 86. l. 11. *fontis* p. 88. l. 27. post *et* adde *ut.* p. 98. l. 19. c. 21. p. 106. l. 18. *precariò.* ib. l. 33. post *potest* adde *reum* p. 101. l. 28. *machara.* p. 104. l. 14. *Nota.* p. 123. l. 25. *negligentia & culpa aliqua.* p. 130. l. 22. *caput.* p. 147. l. 28. *bubile.*

In Processu Iur. l. 31. *adjuvabunt.*

In R.æ M.tis Edictum pro *concernes* repone *concernens.*

In Regulis Judicum p. 43. l. 19. pro *est* repone *esset.* p. 44. l. 27. *perjurus erit & dignus supplicio.*

In Regulis Iuris. P. 51. l. 25. pro *sex* repone *quatuor.* p. 52. l. 34. *Reg.* XIV. p. 53. l. 28. *praxis.* p. 54. l. 27. c. 5. §. 2. & l. 30. ÆQUITATIS. p. 56. l. 33. in *Tunc in* dele *in.* reliquis ignoscet benevolus lector.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA.



